Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
12
30 A
32

iotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-33-26

14-15-6-29.

65.6.35.

efemeride del Mag

Digitized by Google

Digitized by Google

TRINVM MAGICVM,

Siue

SECRETORVM MAGICORVM OPVS:

CONTINENS

I. De Magia Naturali, Artificiosa & Superstitiosa Disquisitiones axiomaticas.

II. Theatrum Naturæ, præter Curam Magneticam, & veterum Sophorum SIGILLA & IMAGINES Magicas, etiam Conclusiones Physicas, Elementales, Cœlestes & Infernales exhibens.

III. Oracula Zoroastris, & Mysteria Mysticæ Philosophiæ, Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Arabum, Persarum, Græcorum, Orphicorum, Pythagoricorum & Latinorum.

ACCESSERE

NONNVLLA SECRETA SECRETORUM & Mirabilia Mundi.

Editum à CÆSARE LONGINO, PHILOS.

FRANCOFVRTI,

Typis Wolffgangi Richteri, impensis Antonij Hummij.

M. DC. XIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM
BENEVOLVM.

AFferimus vſui tuo, beneuole Lector, Trinum hoc Magicum, elaboratum ſtudio haud leui, & ita elaboratum, vt omnes tam Magiæ naturalis, quam artificioſæ, & præſtigiatricis arcana reſerat, probet, reiiciat, ponatq; ob oculos, quid circa quamq; eius ſpeciem tenendum, ſtatuendumve ſit, idque axiomatice, compendioſe. Ad hanc antequam acce-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

das paucis præliminaria quædam de Magica ſcientia accipe, ita enim fiet, vt paratior, inſtructiorq; ad eius penetralia admittaris.

Non me latet, Magiæ vocabulum honeſtum alias & nunquam ſatis laudatum, à plerisquepro ea tantumfacultate,quã nos cum ſanioribus omnibus præſtigiatricem & diabolicam dicimus,ſumi & in deteriorem plerunque partem rapi ſolere: verum tale quid qui ſentiunt, rogatos nos volumus,ne has inter ſeſe,ſiue ſpecies,ſiue genera confundant, ſed audiant potius veterũ de his doctrinam & ſententiam, nec ante iudicandi poteſtatem ſibi ſumant, quam rem

rem planius & plenius, imis è fontib. deguſtarint, & diiudicauerint. Eſt Magia Platoni, Philoſophorũ illi Deo, Deorum cultus & apud Perſas, qui circa diuina ſunt ſapiẽtes eorumq; cultores, Magos appellitari ſcribit Porphyrius, idq; ppria eius regionis dialecto ſignificari aſſerit. Huic aſtipulatur Ioan. Picus, & Pico anteriores Philo & Hermias, quorũ prior Magum ſubſequẽtib. deſcribit: Veram quidem illã Magiam, hoc eſt, contemplatiuam ſcientiam, per quã clarius naturæ opera cernuntur, vt honeſtam atq; expetendã, non vulgus ſolũ ſectatur, ſed maximi etiam Regum Reges, præcipue vero Perſæ tam ſunt harum artium

Digitized by Google

ſtudioſi, vt regnare nemo poſſit, niſi ſit inter Magos iudicatus: Itaq; Magus, vera ſui nominis interpretatione, nõ aliud ſibi vult, quam Dei cognitorem & cultorẽ. Cui nomini rem quoq; reſpõdiſſe apud Magos Arnobii teſtimonio de Hoſthane Mago conſtat. Sic n. ille de Hoſthane Mago: Eorum Magorũ & eloquio & negotio prim⁹ Hoſthanes, & verũ Deũ merita maieſtate proſequtur, & Angelos miniſtros, & nũcios Dei, ſed veri ei⁹ veneration i nouit aſſiſtere: vt è nutu ipſo & vultu Domini territi contremiſcãt. Idẽ & dæmonas ꝓdidit, terrenos, vagos, humanitatis inimicos. Plenius aũt de Magis Procl⁹ ait: Quicunq; vero & eſſe Deos,

&

& prouidentiam eos rerum habere putãt,& multa eorum quæ fiunt, posse etiã aliter euenire, hi & preces conuenienter approbant, & vitam nostram dirigere confitẽtur. Atq; addunt,proborum hominum preces cõuenire maxime: Quoniã nos diuinitati connectant. Similin. simile coniungi amat. Diis autẽ probus vir similim⁹ est. Et quia in custodia sint iis, qui virtuti incumbũt, & à corpore veluti à carcere comprehensi,debent Deos comprecari de transitu ab hoc loco. Et quia veluti filii à patrib. distracti, precare eos cõuenit de regressu ad veros eorum patres Deos. Et qm̃ veluti patre & matre carere vidẽtur ii,qui non curant preca-

ri, neq; ſeſe conuertere ad præ-
ſtãtiores. Et quia in omnib. gen-
tibus, ii qui ſapientia excelluе-
runt, circa preces ſtudioſi fue-
runt: Indorum quidem Brach-
manes, Magi vero Perſarũ: Græ-
corum vero, qui maxime Theo-
logi fuerunt, qui & ſacrificia in-
ſtituerunt myſteria. Chaldęi ve-
ro & aliter diuina coluerunt, &
ipſam Deorum virtutem, Deo-
rũ confitẽtes eſſe venerati ſunt,
tantum abeſt, vt ob virtutẽ ſacra
ſpreuerint. Et quidẽ non imme-
rito hoc eis præconii tribuitur,
volue oracula Zoroaſtris, quæ
in fine huius libelli adiecimus,
hauries non ſolum Dei Patris, &
Filii & Spiritus S. cognitionem,
ſed & magnificas huius veri Dei
audies

Digitized by Google

audies laudes, celebrariq; eum factorem mundi, ita vt hæc Magiæ pars fere nihil aliud videatur, quam Theologia, & religionis cognitio.

Aliæ Magiæ pars est cœlestiũ motuum atq; virium cognitio. Per hanc influxus cœlorum in hæc inferiora percipiuntur; huius & Abrahamus peritus fuit: hæc in vniuersum totius naturæ cognitionem complectitur: hæc interspersas interseminatasque mũdo virtutes, è tenebris in lucem euocans, operãti naturę famulatur, eamque quæ vniuersi partibus inest Sympathian promit, & in vsum de mundi recessibus naturæq; gremio profert.

Huius veræ Magiæ æmula est

Goetia illa, præſtigiatrix Magia, prædictionibus humanorum euentuum ſingularium, ſuperiori ſimilis facta, & veræ naturaliſque Magiæ effectiones pręſtigiis repræſentans, vt quæ ſunt non eſſe videri, & quæ non ſunt, eſſe videri faciat, ad omnia opera dęmonum adhibita. Si hæc circa defunctorum corpora adhibetur, Necromantia dicitur, ſi ad ignem, aut aquam Pyromantia, aut Hydromantia: ſi circa aerem Mateotechnia vocatur. Pharmacia vero eſt, quæ cibo potuq; philtra reſque amatorias procurare fingit, fingit & medicinas quaſdam ad morbos varii generis depellendos.

Hinc patet harum trium euidens

Digitized by Google

dens discrimen, quod nos apertius in ipso opere quæstionibus & enodationibus perspicuis enodauimus: Inprimis vero ad præstigiatricem quod attinet, eius effectus & operationes quales nam sint, proponentes, ne iis temere creduli decipiamur ab hoste illo humani generis, & æternum animæ periculum incurramus. Tuum erit Lector discrimen hoc diligentius perpendere, & ad profligandos humani hostis impetus, vsui tui accommodare.

Simile fere iudicium tibi proponimus de imaginibus & sigillis Magicis, decantatis adeo non solum à veteribus Sophis, sed etiam recẽtiorum doctorum quorundam

rundam virorum encomiis in cœlum ſublatis. Quos effectus an reuera aſſequantur effigiata conuenienti tempore & hora, & num citra hoſtis humani inſidias gerentis vſui cedant, ipſi viderint: cum periculo vſum eorum coniunctum nos iudicamus. Hæc te in veſtibulo huius opuſculi monere viſum eſt, Tu noſtris ſtudiis fruere & vale.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM ET SECRETORVM HOC opuſculo comprehenſorum.

Tractatu Magico continentur.

Proœmium I.

CAP. 1. *De Magia, & quæ eius diuiſio.* 7

2 *De Magia artificiali.* 8

3 *De Magia diabolica.* 9

4 *De pacto in hac Magia inter dæmonem & hominem intercedente.* 10

5 *Magiã præter apparentes & præſtigiatorios etiã habere effectus veros.* 13

6 *An cœli aſpectus & influxus aliquid ad Magicos effectus conferant.* 15

7 *De imaginatione, & an tales effectus miros producere valeat.* 16

8 *An ne characterum, annulorum, ſigillorum & imaginum ea vis ſit, quæ à magis illis tribuitur.* 18

9 *An morbi verbis & incantationib. ſanari poſſint.* 21

Digitized by Google

INDEX.

10 De amuletis & periaptis, an illa effectum decantatum præstent. 24

11 An Magi potestatem habeant aliquam in cœlestes orbes & sidera. 25

12 Quæ sit Magorum potestas circa Fortunæ bona. 34

13 Quæ sit Magorum potestas circa animalia bruta. 45

14 An dæmones incubi & succubæ sint, & an ex tali coitu proles gigni possit. 47

15 An sagæ vere de loco ad locum transferantur, vbi & de earum nocturnis conuentibus. 51

16 An corpora ex vna in aliam speciẽ Magi transformare possint. 63

17 An Magi possint bestiis loquendi facultatem tribuere, & an voces bestiarum intelligant. 68

18 De Extasi & raptu Magico. 70

19 De dæmoniũ apparitionibus, siue spectris, quæ dæmones hominib. obiiciunt. 73

20 De diuinationibus. 83

21 De speciebus diuinationis. 87

22 De

INDEX.

22 De Necromantia. 88
23 De Hydromantia & aliis Manganiæ ſpeciebus. 89
24 De Haruſpicina. 94
25 De Augurio & Auſpicio. 102
26 De ſortibus illicitis. 106
27 De coniectatione. 110
28 De coniectatione ex elementis, meteoris, plantis, arboribus, brutis. 114
29 De Phyſiognomica prænotione. 116
30 De coniectatione ex ſomniis. 120
31 De ſorte diuiſoria. 125

Appendice continentur.

Artificioſa præparatio variorum fructuum & vini medicati. 128
Florum & fructuum conditura 133
Vtroſæ & lilia vegeta ſeruentur. 134
Poma in vigore vt diu maneant. 136
Poma in arbore diu immorari. 138
Vua in vite vt ſeruetur. 139
Arbores vt necantur. 140
Diuerſa igniaria præparandi ratio. 143
Lapis è quouis humido ignem excitans. 146

Ignium

INDEX.

Ignium variæ compoſitiones. 149
Ignis mixtura, quæ ſub aqua ardeat. *ibid.*
Faces, quæ ventis non extinguantur. 156
Aqua ardens. 157
Ab igne tueri aliquid, ne comburatur. 158
Vt totus ignitus videaris. 159
Puluis pyrius in bellicis inſtrumentis mira operans. *ibid.*
Multa literarum experimenta, variaq; ſcribendi latebræ. 164
Literæ in tenebris conſpicuæ. 165
Literæ vt in nigro candidæ exiſtant. 166
Vt literæ deliteſcentes conſpiciantur, & cõſpicuæ deliteſcant. *ibid.*
Literæ intercutaneæ, & indelebiles vt membro quouis appareant. 167
Literæ quouis loco emergentes coloratæ, vt efficiantur. 169
Literæ aqua vel igne viſibiles. *ibid.*
Literæ vt ouo imprimantur. 170
Vt literæ ſtatuta die euaneſcant. 171
Vt penitus abſtergi poſſint. 172
De conuiuiis & epulis mire apparatis. 173

Vinoſi

Digitized by Google

INDEX.

Vinoſi vt abſtemii fiant. 178
Aqua an vino commixta ſit, quomodo exploretur. 179
A vino aquam ſegregandi modus. 180
Vinũ diuerſimode odoratũ vt reddatur. 181
Anſer viuus excoctus. 182
Muræna eodẽ tẽpore frixa, elixa & toſta. 183
Ouum vt hominis caput magnitudine ſuperet 184
Vt piſces charta frigantur. 185
Mechanica experimenta. 187
Draco volans. 189
Ouum vt in æere aſcendat. 190
Vt tres ſchedulæ non tactæ ſitum permutent 191
Candela ardens vt ſub aqua deferatur. 192
Vas inuerſum vt aquam hauriat ibid.
Vas ventum proiiciens.
De mulierum Coſmetica. 193
Capilli vt tingantur. 195
Pſilothra quib[illegible] ibid.
Vt pil[illegible] locus piloſus glabreſcat. 196
[illegible]cito naſcantur. 197
Vt oculorum color permutetur. 198

)( )(Genarum

INDEX.

Genarum liuor vt abſtergatur. ibid.
Smegmata mulierum. 199
Aqua ad faciem mangoniZandam. 200
Mamillarū incremēta vt prohibeantur. 203
Ventris ruga à partu vt abſtergantur. 202
Naturæ oſtium vt reſtringatur. 204. & ſeq.
Vt facies fucata palleſcat. 206
Aqua faciem denigrans. ibid.
Muliebria quædam remedia. 207
Veneris in caſtris, vt quis fortiter poſſit militare. 208
Veneris deſideria obtundere. 209
De elichniis, eorumq; præſtigiis, & quomodo homines equinis, aliorumue animalium capitibus videantur prediti. 212
Cubiculum vt coloratum videatur. 213
mus vt argentea videatur. 215
De eius medicinis. ibi.
De ſtanno mollitiem tollere. 216
Stanni nitorem vertere. 220
Stannum in plumbum. ibid.
Argentum in aurum tingere. rimi
De argento viuo, & eius medicinis ordinis. 222

Argen-

Argenti viui congelatio cum odore metallorum. *ibid.*
Argenti viui congelatio cum caſside ferrea. 223.
Argentum viuum congelatum in aurum tingere. 224
Argentum viuum cum æneis pilis fixum reddere. 225
Argenti viui congelatio cum oleo. 226
Argenti viui congelati fixatio. 227
Medicinæ ſecundi ordinis. 229
Argentum in aurum tingere. 230
Medicinæ tertii ordinis. 232
Cinnabarim fixum reddere. 233
Aurum ex argento extrahere. 237

Tractatu de virtutibus Herbarum continentur.

Elitropium. 243
Vrtica. 244
Virga paſtoris. 245
Chelidonia. ibid.
Prouentualis. 246

Digitized by Google

Lingua canis. 247
Iusquiamus. 248
Lilium. 249
Viſculus quercinus. 249
Centaurea. 250
Saluia. 251
Verbena. 252
Melyſophylos. 252
Roſa. 253
Serpentina. 254
Aſphodilus herba Saturni. 255
Corrigiola herb. Solis. 255
Chynoſtates Lunæ. 256
Arnogloſſa Martis. 257
Pentaphyllon Mercurii. 258
Iuſquiamus Iouis. 259
Piſteriona, Veneris. 295

Tractatu de virtutibus lapidum continentur.

Magnes. 262
Ophthalmius. 263
Onyx. 264

Feri-

INDEX.

Feripendanus.	*ibid.*
Sylonites.	265
Medor.	266
Mephites.	267
Abaſton.	268
Adamas.	268
Agates.	269
Alectorius,	*ibid.*
Eſmundus.	270
Berillus.	*ibid.*
Celonytes.	271
Corallus.	*ibid.*
Cryſtallus.	272
Chryſolytus.	*ibid.*
Elitropia.	*ibid.*
Epiſtretes.	273
Chalcedonius.	274
Chelidonius.	*ibid.*
Gagates.	275
Bena.	277
Hiſtmos.	*ibid.*
Tabrices.	*ibid.*
Geratides.	*ibid.*

Radia.

Digitized by Google

Rapiamis. 278
Iuperius. ibid.
Lapis laZuli. 279
Smaragdus. ibid.
Iris. 279
Gallaſia. 280
Galerites. ibid.
Draconites. 281
Echites. ibid.
Terpiſtrites. 282
Hiacynthus. 283
Oriches. ibid.
Saphyrus. 284
Saunus. ibid.

Tractatu de virtutibus animalium continentur.

Aquila. 285
Caſſo. 286
Bubo. 287
Hircus. ibid.
Camelus. 287
Lepus. 289

Eperio-

Digitized by Google

INDEX.

Eperiolus. *ibid.*
Leo. 290
Foca. *ibid.*
Anguillæ. 291
Muſtela. *ibid.*
Pellicanus. 292
Cervus. *bid.*
Miluus. 293
Turtur. 294
Talpa. 295
Merula. *ibi.*
Experimenta Philoſophorum circa varios & adminiſtrandos effectus. 304. *& ſeq.*

Tractatu de Cura Magnetica, continentur *præter*

Rationem curandi vulnera citra ſuperſtitionem, dolorem, & remedii applicationem, & naturalis ſympathiæ, antipathiæne exempla. 346. *& per tot.*
Herbarum cum aſtris conſenſus. 377
Lapidum. 378

Sigillo-

Digitized by Google

INDEX.

Sigillorum Magicorum ad varios effectus fabricandorum modus. 400
Sigilla Rhagaelis. 406
Sigilla Chaelis. 410
Sigilla Hermetis. 420
Sigilla Thetelis. 428
Sigilla Salomonis. 430
Imagines & signaturæ Planetarum. 460

Tractatu Oraculorum continentur

Oracula Zoroastris. 494
Mysteria Philosophiæ mysticæ apud Hebræos, Chaldæos, Aegyptios, Persas, Arabas, Græcos, Orphicos, Pythagoricos, Latinos. 521
Conclusiones de Oraculis. 625
Conclusiones de mystica Philosophia. 630

MARCI

Digitized by G

MARCI ANTONII ZIMARÆ TRACTATVS MAgicus.

PROOEMIVM.

CVm apud omnes fere Scriptores in confesso sit, primum Magiæ inuentorem & cultorem, illius præcipue, quæ superstitiosa & diabolica, Zoroastrem extitisse, operæ pretium duximus, in vestibulo huius operis, Francisci Patricij, summi illius Philosophi de eodem Zoroastre, nonnullis tamen omissis disquisitionem præfigere, ex qua quisnam ille Zoroaster, & quæ

de illo ſcriptorum ſententiæ, quæq; ſcripſerit, lector beneuolus haurire poterit. Sic autem Franciſcus ille Patricius.

Zoroaſtrem Magiæ inuentorem fuiſſe ſatis apud authores conuenire ſcribit Plinius. Sed vnus ne hic fuerit Zoroaſter, an & alius, non ſatis conſtare ait. Sane is, qui noſtra ætate ſacram Bibliothecam compilauit, Sixtus Senenſis duos fuiſſe Zoroaſtres tradit. Alterum ex Diogene Laertio, Perſem Magorum Principem, qui veræ Magiæ inuentor primus, Alterum Bactrianorum regem, qui ſit à Nino in bello victus, & qui primus veræ Magiæ fuerit corruptor, de quo Plinium, Iuſtinum, & Auguſtinum ſcripſiſſe aſſerit. Qui ſi duo ſunt reuera, licet & tertium addere, de quo Clemens Alexandrinus, *libr. 5. ſtrom.* ſic ſcribit: Erus iſte Zoroaſter eſt, qui de ſeipſo hæc ſcripſit: Conſcripſi Zoroaſter

roaſter Armenii, genere Pamphilius qui in bello mortuus, ad inferos deſcendi, & à Diis hæc addidici.

Erum Plato *lib.* 10. *de Republ.* 12. die poſtquam mortuus fuerat, ſuper pyra poſitum reuixiſſe affirmat. Sed Plato idem Zoroaſtrem, Oromazi, non Armenij filium facit in Alcib. 1. Aut tres, ergo, aut quatuor, & non vnus videntur fuiſſe Zoroaſtres. Ioannes autem Goropius in *Gallicis*, Zoroaſtrem neminem vaquam fuiſſe autumat, ſicuti neque Hermetem Triſmegiſtum, neque Orpheum nominum horum etymis à neſcio qua Cimmeria lingua, qua & Adamum & reliquos Patres vſq; ad Noachum & Iapetum locutos, & ipſe credit, & ab aliis credi vult, deriuatis. Quorum nominum etymon, ſicuti fidem penes eum manere volumus, ita illud addimus, Iapetum ab eodem Goropio fuiſſe Zoroaſtrem nominatum,

Cui Iapeto, quoniam Margiana & Bactriana post diluuium à patre obtigerint, à secunda hac Magiam ortam esse, affirmatque inde à Zoroastre Oromaze filio, id est, à Iapeto Noachi filio charissimo ad Persas venisse. In qua re patet multiplex Goropii error. Nam si Zoroaster nemo vnquam sua sententia fuit, qua ratione Iapetum Zoroastrem esse facit? Deinde apud Iosephum Bactra non Iapeto conditori tribuuntur, sed Geteri, vni ex Arami filiis, hic autem Semi filius fuit. Persæ autem conditi sunt non à Iapeto, aut quopiam è suis, sed ab Elimo Semi filio alio, sicuti à fratre eius Arphaxado Chaldæi. Inter quas duas gentes Magia omnis & ortum habuit, & præcipue est versata. Itaque Iapetus ex historia nulla aut Bactrus, aut Persa, aut Chaldæus fuit. Didymo vero Alexandrino Zoroaster fuit Chamus.

Aliis

Aliis Chusus filius Chami. Sed ceteris omissis, nos Magorum illum Principem perquiramus, cuius & vitæ initium, & medium & finis traduntur admirabilia fuisse. Scribit enim Plinius, eum eodemmet die, quo natus est, risisse: eidemque cerebrum ita palpitasse, vt impositam repelleret manum futuræ prælagio scientiæ: eundemque in desertis caseo vixisse annis 20. ita temperate, vt vetustatem non sentiret. Obiisse autem igne cœlesti concrematum, sicuti optauerat: Suidæ testimonio constat. Qui idem tradit, eum, vt diximus, sub Nino Assyriorum Rege floruisse, quod ab aliis non discordat. Nam & Epiphanius eum Astrologiæ, doctrinæ practicæ, & Magiæ inuentorem fere Nembroti Gigantis ætate fuisse asserit. Fuit enim Ninus Nembroti nepos, ex filio eius Belo genitus. Et Eusebius affirmat, eum iisdem rem-

tutam confirmare. Hæc quoad primum Magiæ authorem paucis, nunc ad ipsa Magica theoremata properemus.

CAPVT I.

Quid Magia, quæ eius diuisio.

A Definitione omne principium recte duci, iamdudum apud omnes constat, quam nos regulam secuti, Magiam dicimus esse *scientiam, quæ vi quadam, non tamen supernaturali, sed creata, insolita quadam efficere potest, quorum causæ communem hominum captum exuperant.*

Ab hac definitione vera omnia miracula digito Dei Omnipotentis effecta, tenore verborum illorum vi, non supernaturali, secludimus.

Diuiditur in *Naturalem*, *Artificiosam* & *Diabolicam* & sic vel *Bonam*, vel *Pravam*.

Illius definitionem posuimus, huius hanc ponemus. *Magia prohibita* est *scientia, qua vi pacti cum diabolo initi mira quædam & communem hominum captum superantia efficiuntur.*

Est hæc Diuinatio, Maleficium & Vana obseruantia.

Naturalis Magia in Operatricem & Diuinatricem diuiditur, prior in abditis & futuris inquirendis versatur, *A*ltera tota operationi dedita miros effectus producit.

CAPVT II.

De Magia artificiali.

MAgia *artificialis* est, quæ humana industria mira quædam perficit, dicitur etiam Magia artificialis operatrix: Est duplex Mathematica & Præstigiatrix.

Mathematica nititur principiis Mathema-

thematicis, Geometricis, Arithmeticis, Astronomicis. Hinc variæ artificum operationes, olim Archimedis, Architæ, hodie recentiorum automata.

De *hac* sciendum, eam nihil contra naturam efficere, sed potius naturalibus mediis & causis agere, si in hac effectus supernaturales intueris, ad præstigiatricem referendum.

Præstigiatrix ex effectis cognoscitur, hæc enim ludicra sunt, & non talia, qualia apparent. Exempla passim apud authores, & vbique obuia, & etiam in aulis, & congressibus festiuioribus.

CAPVT III.

De Magia Diabolica.

SEquitur Magia *damoniaca*, quæ diabolo authore nititur, & effectore.

Non autem bonis ſpiritibus tribui poteſt, nec diuiſio Magiæ vniuerſæ in albam & nigram ſubſiſtit, Reiicitur hæc etiam ab inſigni Mago Agripp. *de van. ſcient.*

Huius generis eſt ars Planetaria, ars Almadel, notoria, Paulina, reuelationum, & libri alij ſuperſtitionum harum farragine repleti.

Ergo cum nulla alba Magia, quæ bonorum ſpirituum ope & effectoribus operatur, exiſtat, remanet ſola Magia nigra: quæ in ſpecie Magia, de qua in hoc libro ſpeciatim.

CAPVT IV.

De pacto in hac Magia, inter dæmonem & hominem intercedente.

MAgia hæc pacto cum diabolo nititur, quod Magus cum eo iniit,

iniit, vt quotiescunque libitum ei sit aliquid efficere, adminiculo artis suæ dæmon ex condicto concurrat.

Huic nostræ positioni suffragium ferunt, scriptores passim Theologi, Iurisconsulti, Philosophi, Medici, Historici.

Pactum hoc cum diabolo, vel *expressum*, vel *tacitum*.

Pacti *expressi triplex modus*, aut enim dæmon forma visibili, & certa solemnitate comparet, resque coram testibus agitur, aut sine testibus, altero modo, aut deniq; per vicarium, magum alium res peragitur, cum scilicet paciscens dæmonis congressum fugit.

Tacitum pactum quando quis sciens, & volens superstitiosis vtitur signis, quibus Magi vti solent, vel quando ex ignorantia iis vtitur, quia mala & à dæmone instituta esse nescit.

Pactum vtriusque speciei vanum & irritum est, Pater enim mendacij dæmon, ex Christi sententia, à quo veritatem expectare, summæ foret dementiæ: & hominis inimicus ab ab ipso mundi exordio. Quin & periculosum, & nocentius omnibus vulneribus, nec solum corporis hic periculum timendum, sed & animæ. Exempla vbique obuia.

Pactum hoc intercedere dignoscitur, vbi nec miraculi, nec naturæ vis, nec artificij solertia deprehenditur. Hoc est, si operatio naturalem facultatem excedit, si in operatione aliqua adhibeantur verba, ignota, falsa, apocrypha, absurda, sacraue ad sensus alienos retorta, siq; operatio tribuitur certis quibusdam & designatis ritibus, & denique si vis effectrix collocatur in obseruantiis plane superfluis & indifferētibus: si, inquam, hæc, similiaue adhibeantur, resque

resque non est proportionata ad effectum producendum, magicis tribuatur incantationibus & artibus necesse est.

CAPVT V.

Magiam præter apparentes & præstigiatorios, etiam habere effectus veros.

EX Dei permissu quandoque dæmon effectus veros producere potest: Tum enim causis naturalibus vtitur, ex quibus verus sequitur effectus. Est enim diuturna & multiplici experientia, ac cognitione quarumuis rerum & causarum naturalium exacta præditus.

Hinc duplices Magiæ diabolicæ effectus prodeunt: *Veri* & *Apparentes*.

Apparentium effectuum plurimi apud Historicos vbique, miri de Si-

mone Mago apud S. Clementem *lib. 2. recogn. & lib. 6. const. Apostol.* & de Zitone Boemo apud Dubrauium, *lib.* 23.

Effectus veri sunt incantatio serpentum, incantationes Magorum Ægyptiorum.

Regulæ, quibus dignoscuntur effectus veri à falsis hæ sunto. Si effectus Magicus eiusmodi sit, qui soli diuinæ omnipotentiæ competat. Rationes circumstantiarum diligenter aduertendæ, si nimirum non constat effectum viribus dæmonum superiorem esse.

Hæc de Magia, eius diuisione, speciebus & pacto cum dæmone in ea intercedente, restat, vt de effectis huius agamus.

CAPVT

CAPVT VI.

An cœli aſpectus & influxus aliquid ad Magicos effectus conferant.

AD effectus Magicos producendos, plurimum poſſe & conferre cœlorum & ſuperiorum corporũ influxus, Magi certo ſibi & aliis perſuadent, quod an verum ſit, diſquirendum.

Corpora, ſiue figuræ cœleſtes nullum habent influxum, ſeu efficaciam efficiendi & operandi in figuras & characteres à Magis diſpoſitos.

Patet, quia nulla earum cum his antipathia, nec ſi eſſet, homini nota foret.

Hinc concluditur, Quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia materia, ad certas conſtellationes fabricatæ, vel certo charactere, aut figura effor-

efformatæ, aut etiam baptizatæ, consecratæue, secundum Magicam artem, & sub certis diebus non habeãt efficaciam, aut virtutem admirabilem operandi Magicos effectus.

Hoc enim asserere fidei repugnat, blasphemum est, Physicæ & Astronomiæ contrariatur, nec vim habent quicquam ex astris eliciendi, nec nouam qualitatum mixturam in subiectum inducendi, essentialemue formam imprimendi.

CAPVT VII.

De imaginatione, & an tales effectus miros producere valeat.

VIs imaginationis maxima, inprimis quoad proprium imaginantis corpus: Imo potest omnia, quæ naturalem coordinationẽ cum imagina-

ginatione habent. Exemplum in noctambulis.

Num vero etiam quoad corpus alienum? Non puto, impossibile enim quod anima humana per imaginationem, aliamue potentiam mediantibus vel radiis, spiritibus vel speciebus, efficere possit.

Non tamen nego, quin per accidens possit aliquid imaginatio in vicinum corpus arcta quadam coniunctione & contactu ei copulatum, modo imaginatio intensa sit, & corpus illud vicinum ad effectum illum recipiendum apte dispositum sit.

Huc faciunt exempla, Iacobi Patriarchæ, de quo in Genes. *cap.* 30. & ea, de quibus Isidorus *libr.* 12. *Origin. cap.* 2.

CAP.

CAPVT VIII.

Anne characterum, annulorum, sigillorum & imaginum ea vis sit, quæ à Magis illis tribuitur.

AFfirmant Magi & mordicus defendunt, characterum, annulorum vim magnam esse, & tantam, vt effectus illos adeo decantatos efficere queant, Assentiuntur his Platonici, & veteres & recentiores: Resistũt alii, docentque nihil ex his ipsis fieri, contingereue posse; & si quid fiat, ex pacto & constituto vi dæmonũ permissa à Deo fieri: nec soli characterum figuræ fidendum, ascribendumue existimant laniores nostræ ætatis & Philosophi, & Medici, & Theologi.

Sunt autem imaginum, seu figurarum Magicarum genera *tria*, *Primo*

generi

generi adhibentur ſuffumigationes, incantationes, & per Angelorum decantata illa nomina exorciſationes, quibus ceremoniis honor dæmoni manifeſte exhibetur & idololatria aperte committitur.

Alterum genus characteribus & ſculpturis nititur, mere barbaris, in hoc genere conſpiciuntur, quatuor huius mundi cardinum principum nomina, & alia ſuperſtitionum mera figmenta.

Tertio generi adnumerantur figuræ cœleſtibus figuris correſpondentes, & ſubiectæ, quæ quia ſuperſtitioſis quibuſdam nugamentis & circumſtantiis adhibendis nituntur, reiiciendæ plane ſunt, & ex iis effectum non ſequi, tenendum.

Ratio eſt, quia Deus licet nomina quibuſdam impoſuerit, tamen iis efficaciam & vim tradidiſſe non legitur, & ſic iuxta illud Magorum theorema,

rema, imagines sub certa constellatione formatæ & nominatæ, vim habent, non ratione figuræ, vel pronunciationis, sed virtutis & officij eius, quod Deus ad tale nomen, vel characterem ordinauit.

Eidē cēsuræ subiiciuntur annuli & sigilla Magica. In his enim æque idololatricus cultus interuenit.

Nec refert, quod speciosissimis Angelorum nominibus prænotata conspiciantur.

Ex his sequitur nō posse effectum vllum ex his sequi, & si quis sequitur ope dæmonum, qui talia interdum ex Dei permissu ad constabiliendam de hisce opinionem agit, effici.

Idem iudicium de Numeris hic se offert, quibus etiam nonnulli miros effectus tribuunt, sed firmiter tenendum, Numerum, qua numerum, nullam neq; naturalem, neq; supernaturalem operandi potestatem habere.

Ratio

Ratio, imaginarius tantum est numerus, & re ipsa nihil.

Nec obstant, quæ de annis climactericis, & octimestri partu dicuntur, quoniam illud ab humorum & complexionis humanæ & sic periodi cuiusdam naturalis ratione dependet, hoc vero à feminis & fœtus naturalis circumstantiis, debilitate acrobore contingit.

CAPVT IX.

An morbi verbis & incantationibus sanari possint.

HAbet & hæc opinio suos adstipulatores, Magos, & Medicos, & inter hos aliquos non infimi nominis. Nos nullatenus eam admittimus, & nulla vocabula naturalem vim ad depellendos morbos habere statuimus.

Nec

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nec curandum quid aliqui de peregrini idiomatis vocibus, puta Hebraicis, aliisue, quicquid etiam de incomplexis, complexis, certo orationis metriue genere traditis, & similibus nugantur.

Similiter reiicimus, quidquid de præsentia, vel absentia ægrotantis asseritur.

Ratio sit nostræ huius conclusionis, Naturalis effectus, à natura non producitur, nisi vel motu, vel mutatione. Sanitas autem fit mutatione, quod cuique perspicuum, quæ mutatio non potest contingere, nisi qualitatum actiuarum virtus subiectum aptum ad idonecè agendum rite præparet: nisi enim hoc, non sequitur operatio.

Hæc cum non sint in talibus incantationibus, & adhibitione magicarum vocum ad sanandos morbos, vt cuiuis intuēti accuratius apparet, etiam

etiam effectus ex his nullus sequitur.

Accedit, quod verba vim nullam habent: Non artificialem, hæc enim nusquam vllibi deprehensa.

Non supernaturalem, quia hæc aut gratiæ, aut miraculi.

Hæc in Magos non cadunt, qui Deo exosi.

Non naturalem: Verba enim scripta, mortua sunt, nullius efficaciæ, ore prolocuta, aera tantum feriunt, sonus autem efficaciæ nullius. Non linguæ raritas, aut dignitas huc facit, merum enim sathanæ ad decipiendum credulos commentum, & abusus, quem Deus prohibuit, & nec gratiæ aliquid virtutisue ei elargiri promisit. Nec nomina radij sunt rerum, quibus imposita cernuntur, quia multa nihil significantia, multaque diuersum quid à natura rei, cui indita sunt, notantia. Ratio dictorũ

quia

quia res corporeę naturaliter in corporis expers, è quibus sunt nomina, agere non possunt. Nec complexio verborum propositionum scilicet & orationũ, aliquid operatur: nec afflatus in ægrum, nec ordo scriptionis retrogradus, nec instrumentum adhibitum cui inscribũtur, quæ omnia nil nisi ineptiacula, quibus dæmones imprudentes constringere gaudent.

CAPVT X.

De amuletis & periaptis, an illa effectum decantatum præstent.

QVæritur, an amuleta & periapta vim vllam morbos & damna propellendi, habeant, prout & veteres tum Græcorum, tum Romanorum existimarunt. In hac quæstione distinguendum censemus.

Aut

Aut enim materia, in qua amuleta talia exarantur, ſympathiam, antipathiamue naturalem habet cum eo contra quod paratur, aut non. Si habet talem, res plana eſt, fieri hoc effectu illius antipathiæ, vel ſympathiæ. Si non, figuræ, characteres, verba, conſtellationesue effectum nullum naturalem habent.

Ratio, naturalis enim effectus cauſa ſit naturalis, neceſſe eſt.

CAPVT XI.

An Magi poteſtatem habeant aliquam in cœleſtes orbes, & ſidera.

ASſerunt Magi artem ſuam poteſtatem, & in ſidera & orbes cœleſtes exercere, ſed falſo: Non enim ſiderum cœliue motum ſiſtere poſſunt ſicq; ordinem vniuerſi turbare,

cipe quod rideas magis, si quis nec agnum, pullumue habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi adferebat, & ne tu auidas, aut crudeles existimes nubes, digitum suum bene acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat. Nec minus ab huius agello grando se auertebat, quam ab illo, in quo maioribus hostiis exorata erat. Rationem huius rei quidam quærunt. Alteri, vt homines sapientissimos decet, negant posse fieri, vt cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis redimat, quamuis munera & Deos vincant. Alteri supplicari ipsos aiunt, esse in ipso sanguine vim quandam potentem auertendæ nubis ac repellendæ. Sed quomodo in tam exiguo sanguine potest esse vis tanta, vt in altum penetret, & illam sentiant nubes. Quanto expeditius erat dicere, mendacium & fabula est: At Cleonæ

iudicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura prouidendæ tempestatis, quod negligentia eorum vineæ vapulassent, aut segetes procidissent. Et apud nos in 12. tabulis cauetur: Ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli, quorum nihil posse fieri, tam palam est, vt huius rei causa nullius Philosophi schola intranda sit. Hæc prolixius Seneca, sed si pacto hæc cum dæmone fieri compertisset, aliter haud dubie dicturus. Nec viribus humanis hæc perfici dicimus, quibus nec guttam aquę nedum imbrem grandinemue gigni posse credimus, sed dæmonum, ex Dei permissu ope & potestate.

In his enim omnibus Dei permissio, qui est veluti causa primaria, & principalior efficiens, necessario & in tantum requiritur, vt nisi illa accedente,

dente, nec Magus, nec dæmon quicquid possit vnquam.

Assentiuntur huic opinioni saniores & Theologi, & Iurisconsulti, quinimo & ipsa sacra Scriptura, quæ dæmonis ope & impulsu tempestatem in Iobi filios & domum excitatam commemorat. Itidem exempla & historiæ omnis ævi. Olaus de Finnis & Laponibus, scribit, olim eos mercatoribus ventos venales exhibuisse, tres magicos nodos offerendo, quorum primo soluto placidum ventum, secundo vehementiorem, & tertio vehementissimũ essent habituri. Exempla grandinis & pluviarum excitatarum plura Remigius affert, qui de hoc, *libr. 1. Dæmonolat. cap. 25.* sic inquit: Hoc certe memini, testatum spontanea & libera assertione plus minus ducentorum hominum, qui me Duumuiro damnante incendio crimen sortilegi luerunt:

premebat, & defectu aquarum prope ad deditionem compulerat, cum quidam impij sacerdotes magicis artibus imbres elicere aubi sunt. Inuenti enim ex oppidanis atque obsessis sunt, qui nocturnis tenebris deceptis castrorum vigiliis, per asperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam prius ac diro prosecuti carmine, post in mare execrabundi immiserint, cœlo, mari, terrisque tempestatem imprecati. Quo etiam tempore sacerdotes quidam mortalium omnium scelestissimi, dum satisfacere prophanis militum artibus student, ritum nefarium secuti, (quo, vt dictum est in huiusmodi elici imbres putantur,) asino præ ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinere funestum carmen, post diuina Eucharistia in illius os palatumque in-

iecta, conclamatum assnum funereis cantibus, viuum tandem ibidem pro templi foribus humauere. Hic vero vix dum perfecto sacro, obnubescere aer, ac mare agitari ventis cum cœpisset, diesque medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micare ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cœlum terræque horrescerent, volitarent euulsæ ventis arbores, discissaque fulminibus saxa complerent auras fragoribus, prorumpit tanta è nimbis pluuia, imbresque tam validi, vt non cisternæ modo colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa, tupesque exustæ solibus, torrentes vndequaque prolapsos diffunderent. Ira Rex, quia sola in siti oppidi potiundi spem collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Sanonem vetera in castra rediit.

Quod de grandine & imbribus diximus, etiam de fulmine accipiendum, vt

dum, vt de hoc Andreas Cæsalpinus *in inuest. dam. c.* 11. sic scribit: Viri reperti sunt, qui non solum grandines, sed & fulmina concitabant, non tamen lædere posse fatebantur, quoscunq; vellent, sed eos tantum, quos Deus permisisset. Eorum quidam hunc modum obseruabat. In campis principem dæmonum inuocabat, orabatque vt ex suis aliquem mitteret, qui à se destinatum fulmine percuteret, cui postea in biuio pullum nigrum immolabat, & in aerem proiiciebat, quem cum postea dæmon assumpsisset, procellam acerrimam concitabat cum fulmine, sed rarò in hominem designatũ cecidisse compertum est.

Quod idem possint in aerem, aquam, & flauia, quæ & ad tempus sistere possunt, notum est, & ex Plinij *libro* 2. *capit.* 103. lectione patet intuenti.

CAPVT XII.

Quæ sit Magorum potestas circa Fortunæ Bona.

QVin Magi etiam vim suam exerant circa bona externa, seu fortunæ, dubium non est, hinc videmus eos etiam armenta & greges perimere, idque variis modis, vel enim adhibito veneno, vel laudatione immodica, dæmone interim ea perimente, perficere constat: de quibus A. Gellius, 9. *Noct. Attic. c.* 4. & Plinius. *natur. histor. lib.* 7. vel motu locali, vt fit in transferendis segetibus, iuxta illud Ouidij:

Carmine læsa Ceres, sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataq; vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Aliquando etiam productione, ex pulueris à dæmone accepti, consperso-

sperſione, locuſtarum muriumue, aut ſimilium noxiorum animalculorum ſegetes, arua, hortos & vineas depaſcunt, & vaſtare ſolent. Exempla apud Scriptores, & quotidiana experientia vbiuis obuia.

Solent etiam interdum exhibere conuiuiorum apparatus, vel apparentes & præſtigiatorios, quibus finitis accumbẽtes naturali fama mox torquentur, vel veros & naturales cibos aliunde ſuffuratos exhibere.

Poſſunt etiam aliquando Deo ſic permittente, è carceribus captiuos eximere. De hoc narratio extat apud Trithemium *in Chron. Hirſaug.* quam hic apponere libet. Anno Domini 1323. Fridericus Dux Auſtriæ, qui cõtra Ludouicum Bauarum Imperator delectus erat, inter Oedingam & Mulodorffium magno prælio victus & Ludouico traditus, qui in arcem munitam eum aſſeruandum miſit.

Magus interim quidam Lupoldo fratri eius in Austria promisit, se sua arte Fridericum incolumem eductum vnius horæ spacio, si digna sibi merces numeraretur. Dux liberaliter promisit. Ergo dæmon ad Fridericum ablegatus auolat in Bauariam, formaque peregrini assumpta, custodiam ingreditur, inquiens, si ex captiuitate liberari vis, hunc equum ascende, & te in Austriam ad Fratrem tuum Lupoldum incolumem perducam. Cui Dux, Quis es tu? ad quem ille: Noli interrogare quis sim, quia nihil ad rem, sed ascende hunc equũ, quem tibi exhibeo. Hic cum Ducem alioquin audacissimum, horror inuasisset, & signo sanctæ Crucis se muniuisset spiritus cum equo nigro disparuit, & vacuus ad mittentem reuersus est, à quo increpatus, quod non adduxisset captiuum, ordinem rei gestæ narrauit.

Quæ

Quæ in præliis ad victoriam obtinendam, Deo permittente, Magi possint, apparet ex historiis, & præcipue memorabili illa Tartarorũ contra Polonos victoria, cuius Cromerus *lib.* 8. *Histor. Polon.* his verbis meminit. Poloni Tartaros anno Christi 1240. ad Legniciam commisso prælio grauiter vrgebant, & fugientibus instabant. Erat in extremo Tartarorum agmine, inter alia signa, vexillum insigne, cuius pictura X literam præ se ferebat, in cuspide vero figura erat tetra nigraque capitis humani barbati. Id vexillum cum signifer vehementius quateret, fumum atq; nebulam densissimam atque fœdissimam exhalabat. Ea nebula non modo aspectum Polonis adimebat, verum etiam odore tetertimo eos enecabat. Incantationibus id quibusdam Tartari effecerant, quibus iuxta atiolationibus, diuinationibusque

ceteris, cum alias, tum in bello plurimum vtuntur, ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare soliti. Barbari, vbi Polonos trepidare senserunt, cohortati se inuicem, impressionem in eos faciunt, perturbatisque ordinibus magnam cædem ediderunt. Tantus eo prælio interfectorum Christianorũ numerus fuit, vt singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ nouem ingentes saccos explerent.

Ad opes & diuitias quod attinet, eas etiam interdum largiri dæmon potest, sed raro hoc facit, ac potius vana spe, & pecuniæ specie credulos clientes suos decipit. Confirmatur hoc exemplis, quorum multa à Remigio adducuntur, & inter alia *lib. 1. Dæmon. cap. 4.* his verbis: Sennel armentaria Duzæ 1. Cal. Octobr. 1586. accepta dono à dæmone, vt sibi videbatur, pecunia gestiens domum

properè

propere rediit, eam vt numeraret, ſed excuſſo ſacco, nihil niſi teſtas & carbones reperit. Catharina Metenſis Duzæ prid. Non. Nou. 1586. ſuccerdam, Claudia Morelia Serræ 3. Non. Dec. 1586. & alii permulti, arborum folia, Ioanna à Banno Manerii, 3. Non. Iul. 1585. cum aureum nummũ charta inuolutum in via reperiſſet, vti dæmon euenturum prædixerat, atque eam marito cupide oſtentaret, aduertit tandem non ſine pudore, pro auro nactam ſe calculum ferrugineum, qui etiam contactu primo facile in fruſta diſſiliret.

Hinc videmus plerosq; huius vanitatis cultores, ſi diuites ante fuerunt, rei familiaris iacturam facere, ſi pauperes, ad vberiorem fortunam peruenire non poſſe.

Eadem ratione affectas ſuos vana ſæpius ſpe inueniendorũ theſaurorũ lactat, quos ſic in caſſes pellectos crude-

crudeliter præfocat. Ex horum numero illud admiratione plenum est. Circa annum Christi 1520. Basileæ quidam sartor, ingenio simplex, voce balbus, incertum qua arte cryptum illam, quæ Augustæ Rauracorum patet, ingressus, & vlterius, quã vlli alii vnquam poterant, progressus, miranda quædam spectra referebat. Cereo consecrato accenso in cryptam descendens primo per ferream portam, se transiuisse aiebat, inde ex vna concameratione in aliã, atque etiam in hortos pulcherrime virentes. In medio aulam mirifice ornatam spectari, & virginem formosissimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam, & crinibus solutis, inferne in horridum serpentem desinentem, à qua manu ad scrinium ferreum deductus fuerit, scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili latratu accedentes arcere

cere. At virginem minabundæ ſimilem eos compeſcere. Tum clauium faſce, quem collo alligatum geſtaret, ſoluto, arcam recludere, & omnis generis numiſmata, aurea, argentea, ærea depromere. Quorum non pauca virginis liberalitate ex ipſa crypta ſe retuliſſe oſtendebat. Addebat, virginem narrare ſolitam, diris imprecationibus ſeſe, cum regio orta eſſet ſtemmate, iam olim deuotam in tale monſtrum mutatum fuiſſe, neque aliam ſalutis recuperandæ rationem ſupereſſe, quam ſi ab illibati pudoris adoleſcente ter deoſculata fuiſſet: tunc enim formam priſtinam ſibi reſtitutum iri, & dotis nomine theſaurum omnem, qui eo loco lateret, liberatori ceſſurum. Affirmabat quin etiam bis ſeſe virginem deoſculatum bis tam horribiles geſtus in ea præ gaudio ſperatæ liberationis obſeruaſſe, vt ſibi ne viuus ab ea diſcerpe-

retur

retur, metuendum fuerit. A quibusdam nepotib. in ganeum deductus, nunquam postea aditum ad cryptam inuenire potuit, nedum ingredi.

Assentitur Andr. Cæsalpinus in sua *dæmon. inuestig. c.* 12. thesaurorum quidem (inquit) indagatores per magicas facultates multos nouimus, sed qui assecuti fuerint, compertum non habeo. Pisis tentauerunt quidam nostris temporibus effodere, sed rei difficultate victi ab opere cessarũt. Tandem anno elapso locum, in quo Neronis ædificia extitisse ferunt, hodie autem sacris virginibus dicatum, effodere ceperunt, vbi erat ingens pini arbor, sed à dæmonibus adeo infestati sunt, vt præ timore ab incepto desistere coacti fuerint.

Hanc difficultatem nemo melius, prudentiusue enucleatam reddidit Paulo Grillando, cuius verba huc transferre libuit. Arte huiusmodi inquit

(inquit) iactãt se posse inuenire thesauros, in locis valde remotis & subterraneis absconditos, & quandoq; inducũt homines in talem insaniam, vt foueas quam ingentes conficiant, pro inueniendis huiusmodi thesauris: & ista videtur mihi, quod sit vna ex turpioribus illusionibus, quas dæmon homini faciat: quia in rei veritate nunquam legi, vidi, nec audiui, quenquam ex necromanticis, magis aut sortilegis huiusmodi, vnquam inuenisse thesautos, aut alias aurum vel argentum, sed quamplurimos vidi huic operi incumbentes, qui mirabiliter conati sunt, velle experiri, qui post multos labores, & diabolicas obseruantias, demum nihil viderunt, nec inuenerunt, nisi terram. Et ratio est, quia Deus non permittit, nec vult, dæmonem posse thesaurizare, quia alias sequeretur, quod isti Magi, Necromantici, ac cæteri diabolicæ

bolicæ fidei professores, essent cæteris Christi fidelibus ditiores, ac præstantiores, ac quamplures reperirentur, ex ipsis Christi fidelibus, qui animo ditandi prosequerentur illos, nec curarent Christianam ipsam propagare fidem, vt magno thesauro abundarent, & venerarentur ab omnibus. Quinimo videmus hodie totum oppositum, quod isti sortilegi, Magi, Negromantici, & similes sunt ceteris Christi fidelibus pauperiores, sordidiores, & viliores, & in hoc mundo, Deo permittente, calamitosam vitam communiter peragunt, demum vero infelici morte pereunt, & æterni ignis incendio cruciantur, vt *in cap. firmißime. extra de hæretic. & c. nec mirum. 26. quæst.* 5. Et ea argutia, qua dæmon illos decipit, eadem & similibus promissionib. ipsi nos decipere student, sed non capiunt, nisi aliquos, qui sunt simplicis cognitionis, &

nis, & carent intellectu & ratione, vel qui sunt nimium creduli, & curiosi, qui auiditate quadam impudenter appetunt scire ea, quæ nulla ratione, aut honesta causa competit sibi inuestigare. *d. c. nec mirum. §. anguria. vers potentia.*

CAPVT XIII.

Quæ sit Magorum potestas circa animalia bruta.

MAgnam esse Magorum potentiam etiam circa animalia bruta, patet ab exemplis, quæ vbiuis apud Scriptores de serpentibus habentur. Sic Seneca *in Med. act. 4.*

--- triste læua complicans sacrum manu
Pestes vocat, quas cunq; feruentis creat
Arena Libyæ, quasq; perpetua niue
Taurus coercet frigore Arctoo rigens
Et omne monstrum. tracta magicis cantib.
Squammea latebris turba desertis adest.

Hic

Hic ferè serpens corpus immensum trahit,
Trifidamq; linguam exsertat, & quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito, stupet,
Tumidumq; notis corpus agrestis plicat,
Cogitq; in orbes.
& Manil. *lib.* 5.
Non inimica facit serpentum membra creatis
Accipient sinibusq; suis peploq; fluenti,
Oscula horrendis iungent impune venenis.

Putamus tamen in his & similibus actibus, ad incantationem dæmones aduolare, & serpentes vel exarmare, vel sopire, vel necare, vt ex Magi Saltzburgensis interitu patet.

Possunt etiam dæmones, & per eos Magi animalia imperfecta, vt sunt vermes, muscæ, ranæ, actiua passiuis applicando producere, & quidem tanta celeritate, vt astantes de nouo creari putent.

Fallere

Fallere hoc puto in animalib. quæ ex putrefactione nasci non possunt, sed tantum ex parentum semine.

Reiicienda hic Cæsalpini sententia, sine semine bruta perfecta, boues, equos, &c. ex solis calore & putredine sola gigni posse, Præparatio enim materiæ à virtute seminaria, & formatrice dependet, habetq; ad perfecti animalis conformationem non solum primarum qualitatum mixturam, & temperamentum, quod à cœlorum influxu & solis calore recipit, sed etiam perfecti animantis exigit cooperationem.

CAPVT XIV.

An dæmones incubi & succubæ sint, & an ex tali coitu proles gigni possit.

QVæstio in vtramq; partem plausibilis, proponitur, An dæmones specie

ſpecie incuborum & ſuccubarum actum venereum exerceant, Negarunt permulti, nobis affirmantium choro accedere placet. Dubitandum enim non eſt, quin dæmones defunctorum corpora ſibi aſſumere, vel de nouo ex aere ad humani ſimilitudinem efformare, quorum ſub ſpecie, & forma tam incuborum, quam ſuccubarum vitis fœminisque illudere poſſint, & ad maiorem & euidentiorem ſimilitudinis rationem effingendam, etiam verum ſemen aliunde exceptum, naturali emiſſione eius imitata, adferre.

Addo quod etiam ex tali coitu hominis & dæmonis incubi proles gigni poſſit.

In hac neceſſe eſt, interuenire verum ſemen humanum, quod dæmon aliunde, pro ſua qua præditus eſt, agilitate, & rerum naturalium peritia, allatum calore naturli prolifico conſer-

conseruato, eo tempore matrici, quo ad concipiendum optimè disposita est mulier, exhibet.

Hinc patet, ex sua propria substantia eos gignere non posse. Non enim verum habet semen, nec prolificum. Ratio quia sunt substantiæ incorporeæ, semen autem de substantia corporea prouenit, & eius pars est.

Sequitur, tunc dæmonem non esse verum natæ prolis patrem, sed hominem, cuius ex semine propagata est, hoc est, generatio tum non dæmoni tribuitur, sed homini, cui vis illa vitalis ineſt, abest autem à dæmone, qui vitæ expers origo est mortis.

Accedit ex confessione sagarum, quod semen illud, quod dæmon immittit, frigidum est, & horrorem adferat summum cum dolore. Semen autem humanum aliunde exceptum cum imprægnare sagas intendit, verũ

est semen & calidum, & tunc dæmon omnia ad generandum apta apte imitatur, quærit semen prolificum, inuentum conseruat, & tanta perfert celeritate, vt vitalis spiritus non euaporetur, tum demum quando & quale oportet, infundit. Et sic quoad omnia, naturæ ordo seruatur, quo ad Physica genorandi principia: quæ hoc dunraxat postulat, vt ex viri prolifico semine muliebri semini aptè commixto, proles nascatur.

Non tamen puto prædicta vera, in dæmone succuba.

Ratio, ad prolis generationē matres longe plura conferunt, quam patres suppeditant, post conceptionem enim omnia reliqua solius sunt matris, adde, quod temporis tractus requiratur, & cōtinua animæ vegetantis operatio in fœtu alendo, aliaque innumera, naturæ arcana, quæ dæmonem non posse, putamus.

Inter-

Digitized by Google

Interdum etiam dæmon ſuccubæ forma homine abutens, verum fœtum aliunde homini ereptum ſibi ſupponit, vel etiam alius dæmon interim prolem ementitur. Prioris membri exempla eſſe puto, quæ de Meluſina Francorum hiſtoriæ referunt, poſteriores ſuppoſititios illos, Wechſelkinder.

CAPVT XV.

An Jagæ verè de loco ad locum tranſferantur, vbi & de earum nocturnis conuentibus.

NEgatiuæ hic aſtipulandum, quo ad translationem de loco ad locum, fit enim hoc phantaſia hominis læſa, & illuſione dæmonis, vinctis interioribus, vnctisque externis ſenſibus, adeo corporei ſenſusplane conſopiuntur, & phantaſticæ illæ

& corporaliter nefariis nocturnis conuentibus ineſſe.

Huic opinioni vtplurimum Romanæ fidei aſſeclæ adhærent, videntur etiam eam confirmare exempla, quorum aliqua hic ſupponere placet. In prouincia Deirorum haud procul à loco natiuitatis meæ, inquit Guilelmus Neubrigenſis, res mirabilis contigit, quam à puero cognoui. Eſt vicus aliquot à mari orientali milliaribus diſtans, iuxta quem famoſæ illæ aquæ, quas vulgo Vipſæ vocant. Ex quo vico ruſticus quidam ad ſalutandum amicum in proximo vico commorantem profectus, multa iam nocte minus ſobrius remeabat. Et ecce de proximo tumulo, quem ſæpius vidi, & duobus vel tribus ſtadiis à vico abeſt, voces canentium, & quaſi feſtiue conuiuantium audiuit. Miratus quinam in illo loco ſolemnib. gaudiis intempeſtæ noctis

annis plurimis in Scotorum theſauris ſeruatum eſt, & ante annos aliquot Henrico II. illud aſpicere cupienti, à Rege Scotorum Guilh. reſignatum.

Inunctæ autem vnguento ex variis rebus inſulſiſſimis, maxime vero vnguine infantum necatorum præparato, inſidentes baculo, furcæ, colo, ſcopis, arundini, tauro, hirco-cani, à dæmono mirabiliter ſubuecto, ad ludum illum bonæ ſocietatis deferuntur, vbi ignis, vt plurimum accenſus, ſed teter ac horridus, ibi dæmon conuentus præſes in ſolio ſedet, forma terrifica, vt plurimũ hirci, vel canis, ad illum accedunt adorandi gratia, non tamen ſemper eodem modo, interdum complicatis genibus ſupplices, interdum obuerſo tergo ſtantes, interdum cruribus etiam in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato,

pinato, tum candelis piceis oblatis, vel vmbilico infantuli, ad ſignum homagij eum in podice oſculantur. Inſuper liberos ſuos diabolo illic offerunt, His & ſimilibus flagitiis & abominationibus execrandis commiſſis, incipiunt menſis aſſidere, & conuiuari de cibis, quos dæmon ſuppeditat, vel iis, quos ſinguli attulere, interdum tripudiant ante conuiuiũ, interdum poſt illud, ſolent diuerſæ menſæ eſſe, tres vel quatuor, cibis interdum delicatiſſimis, interdum valde inſipidis & inſulſis onuſtę, quibus pro dignitate, aut opibus, ſinguli locantur, aliquando ſuus cuiq; dæmon aſſidet, aliquando malefici vna ex parte, & ſuus cuique dæmon ex aduerſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio hoc cœtu digna, verbis conſtans plane blaſphemis, quibus ipſum Beelzebub & creatorem & datorem & conſeruatorem omnium profitentur,

tentur, eadem est formula Gratiarum actionis, quam subdunt mensis sublatis. Conuiuio huic interfunt facie interdum aperta, interdum velata larua, sic enim personati frequentius post conuiuium quisque dæmon suam quam custodit discipulam manu prehendit, & vt omnia fiant ritu, quam sunt absurdissimo, dorsis inuicem obuersis, & in orbem iunctis manibus iactantes capita more fanaticorum, choreas ducere, nonnunquam candelas accensas manu tenentes, quibuscum ante dæmonem osculantes adorare, & cantare fescenninos in honorem dæmonis obscœnissimos, vel ad tympanum, fistulamue sedentis alicuius in bifida arbore saltare, omniaque ridicule & contra ceterorum morem peragere, tum suis amasiis dæmonibus fœdissime commiscri.

Solent interdum etiam sacrificia

ab eis in honorem dæmonis fieri, eaque vel ante, vel poſt conuiuium. Narrant quoque in eius celebratione facinora, quæ quiſque abinde proximo habito conuentu peregerit, quæ quo atrociora ſunt, eo magis collaudantur: ſegnes interim ſæuiſſime vapulant: hinc accepto venenato puluere ad propria abeunt. Conuentus hi vt plurimum noctu ineuntur, nonnunquam meridiano tempore, de his Remig. *libr.* 1. *cap.* 14. Ad frequentandum autem hunc conuentum monentur vel à magiſterulo ſuo vel vocibus præteruolitantis comitatus reginæ ſagarum, nonnunquam & aliter, de quibus modis Spinæ. *cap.* 30.

Aſſentitur huic opinioni Grillan. *lib.* 2. *de ſortil. queſtio.* 1. qui narrat ſibi inquiſitoris officio cum fungeretur, oblatam quandam Lucretiam, quæ dum ex congregatione quadam & conuen-

conuentu domum deportaretur,& ſub auroram matutinus campanæ pulſus, quo ad orandum populus vocatur,auditus fuiſſet, ſubito illam à dæmone vectore prope fluuium in agris ſpinis obſitis fuiſſe derelictam; Forte iuuenis, bene ei notus, illuc tranſibat, eum ergo miſera nomine proprio aduocat, Iuuenis videns totam nudam, præter verenda, femoralibus contecta, & paſſis crinibus, accedere formidabat, perſiſtit illa blanditiis allicere, tandem appropinquauit, & quæſiuit habitus & moræ eo loci cauſam, illa vero primum alia omnia prætexere,& multa mentiri: donec iuuenis incredulus negauit ſe illi opem laturum, niſi vera fateretur, illa fidem ſecreti ſtipulata confitetur,quid ſibi accidiſſet,& qua ex cauſa. Iuuenis eam ſecreto domum ſuam perducit, & multis ab ea muneribus donatur. Sed tandem

datæ fidei immemor, rem vni atque alteri narrauit, sic paulatim sparso rumore, & mulier capta, & iuuenis testimonium veritati perhibere coactus Grillando Inquisitori omnia hæc narrauit. Subditur aliud exemplum ab eodem Grillando: Mulier quædam (inquit) Sabinensis diœcesis hanc profitebatur artem diabolicam, de qua cum maritus suspicionem haberet, eam pluries interrogauit, quæ semper negauit. Maritus vero in suspicione sua persistens, anxie veritatem perquirebat, qui adeo astute se gessit, quod vidit illam quadam nocte se vngentem, qua vnctione peracta, vidit illam celerrimè, quasi auem volitantem, recedere, & ex superiore domus solario ad inferiora descendentem. Illam maritus sequens, vt videret quo tenderet, amplius eam non videt, & accedens ad portam domus inuenit eam clausam,

sam, quæ res magnam ei præbuit admirationem. Die vero sequenti iterum maritus vxorē interrogat, quod anxie scire cupiebat, & illa constanter, vt antea se nescire dixit. Maritus vero, vt amplius negare mulier non posset, aperte ei dixit omnia, quæ præterita nocte illam fecisse viderat, deinde fustibus illam grauiter percutit, & duriora minatur, nisi veritatem dixerit, quam si aperte exposuerit, veniam se illi daturum promisit. Mulier igitur se iam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit, quam illi maritus hac conditione indulsit, vt illum ad tales congregationes adduceret: Illa vero vt veniam impetraret, facile petita promisit, & promissum ex licentia sathanæ impleuit. Adductus igitur ille ad locum, vbi ludi fiebant, ludum & choreas, & cetera omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cum

ſam cum reliquis, vt veſceretur, ſedens, cum cibos inſipidos iudicaret, petiit ſibi dari ſal, quod in menſa decrat, & quamuis iterum atq; iterum petiiſſet, nunquam illi dabatur. Tandem, cum poſt importunam petitionem, prolixamque expectationem ſal illi daretur, dixit, Nunc laudetur Deus, quoniam iam nobis ſal datum eſt. Quibus verbis prolatis dæmones, quia laudes Dei audire refugiunt, ſtatim receſſerunt, & reliqui omnes diſparuerunt, luminaribusque extinctis manſit ille ſolus nudus, quouſque exoriente ſole, vidit quoſdam paſtores, quos interrogauit, quę nam eſſet illa regio, in qua erat, illi vero reſponderunt, eſſe agrum Beneuentanum in regno Neapolitano: Qui locus diſtabat à loco habitationis ipſius per centum miliaria, ob quam cauſam, licet diues eſſet, coactus fuit per viam mendicare, vt

domum

domum redire posset: Quo vbi peruenit, vxorem suam accusauit, & totam rem gestam, iudicibus exposuit. Qui rem totam plene examinantes, accedente mulieris cõfessione pœnis debitis sontem affecerunt. Quæ cum plurimorum confessione & exemplo comprobentur, reuera sic se habere putandum.

CAPVT XVI.

An corpora ex vna in aliam speciem Magi transformare possint.

NEgo hoc, & reiicio commentitias & fabulosas veterum metamorphoses, item & de Lycanthropis dogma falsum. Ratio, quia anima humana corpus belluinum informare nequit, & è conuerso, Ratio rationis est, quia quælibet forma substantialis,

tialis, vt suum esse tribuat informando, peculiares requirit & conuenientes sibi dispositiones, item & organizationem corporis propriam. Immortalis autem anima est, & à dæmonibus nec vulnerari, nec corrumpi potest. Hinc patet eã immutationem ex illusione fieri, & quidem tam illorum, qui sese transfiguratos putant, quam eorum qui eos vident.

Transfiguratio hæc etsi deluſoria est, habet tamen effectus veraces concomitantes. Exempla, strages hominum, pecorum, per dæmonem illatæ, in corpore aereo, aut lupino, siue per homines lupi effigie tectos, vel ea non tectos, sed humana specie grassantes, quod plerunque ex atræbilis excessu fit. Quando autem tales non sibi solum, sed etiam aliis lupi, canes, aliæue bestiæ videntur, dæmon diuersimode decipere homines tunc solet. Interdum enim aliud

corpus

corpus ſubſtituit, & illis abſentibus, & in loco aliquo ſoporatis, ipſe aſſumpto lupi corpore, vel ex aere formato, & ſibi circumdato, talia gerit, quæ interim alij putant ab abſente illo, dormienteue patrata eſſe, interdum hominibus ipſis ferarum exuuias circumdat, nonnunquam etiam aeream talis corporis effigiem membra membris coaptanda affingit, cõfirmatur exemplo ruſtici illius, qui cum filio adoleſcente in ſympoſio potitans, limis obſeruabat hoſpitam menſuras cereuiſiæ, quam propinabat bifurca creta notantem, diſſimulat nihilominus intereà dum comportatio ſoluitur, tum hoſpitam vocat, vt calculum expenſi ſubducat, petit iſta quantum creta notarat, negat ille, & multis vltro citroq; iactis conuitiis, pecuniam offert, quam ſufficere ſciebat & diſcedit. Stomachabunda hoſpita, tu vero ait, non

hinc

hinc hodie poteris domum, vel non ego quæ ſum: abit ille, contemnens minas; Vbi peruenit ad fluuium, in quo ſcapham reliquerat, nequit vna cum filio admodum valido ſumma ope eam à ripa contis depellere. Fore duo tresue milites illac iter habebãt, compellat ruſticus, & contuberna-les, clamat, agite ferte ſuppetias, vt hunc lintrem de ripa deducamus; Parent, & ingreſſi quantum poſſunt protrudunt: ſed fruſtra, anhelus vnus & ſudans, quin ſarcinas & onera hæc efferimus, inquit forte vacuum commodius deducemus: & quidem mercibus depoſitis, vident in ſentina ingentem bufonem, ſcintillantibus oculis eos intuentem, non tulit vnus militum, ſed gladij cuſpide perforatum in aquas eiecit, ille quaſi exanimis in tergum prouoluitur, ventre reſupinato, vulnera natitanti imponunt ceteri alia, & repente nauis ſoluitur.

uitur. Lætus ruſticus auxiliatores milites ad idem vnde receſſerat, hoſpitium reducit, potum petit, præbet ancilla, quærit ille, vbi hoſpita, audit peſſime habere, & animam in lecto agere, Quid, inepta, ille, ebrium me putas? vix media pars horæ elapſa, cum ego illam iſthic ſanam & malam qualis tu, dereliqui, Eo & viſam, quid hoc rei, intrat in thalamum, inuenit collum & ventrem vulneribus confoſſam, laceramque expiraſſe. Vnde hæc exclamat vulnera? neſcire ſe profitetur ancilla, nec domo illam, quod ſciat, pedem extuliſſe. Itur ad magiſtratum, vulnera cæſim punctimque illata inueniuntur iiſdem in locis, quibus bufonem, qui nuſquam comparebat, milites affecerant. De hiſce plenius Binsfeld. *de confeſſ. malefic. concluſ.* 3. Remig. *lib.* 2. *dæmonolatria. cap.* 5.

CAPVT

CAPVT XVII.

An Magi possint bestiis loquendi facultatem tribuere, & an voces bestiarum intelligant.

DE diuina virtute, quin hæc & maiora possit, dubium nullum, sed & dæmon talia pseudomiracula edit, Deo talia permittente, huc referatur illud, quod de Polycrito Phlegon Trallianus prodit, Polycritus inquit, post Locridem vxorem ductam, postquam tres noctes cum ea dormiuisset, tertio die vita functus, vxorem grauidam reliquit, quæ monstrum ex duplici sexu peperit, quod cum in mediam concionem populi ductum fuisset, ad consultandum, quid id præsagiret, quidue de eo faciendum esset, comparuit in medio populi spectrum, Polycriti forma,

forma, & futuram Ætolis & Locrensibus prædixit cladem, & impotente ad resistendum populo, filium suum monstrosum dempto capite deuorauit, & euanuit: mox & caput eandem cladem elocutum est. Apud Ethnicos item exempla passim obuia, geminæ columbæ Dodones loquaces, quercus Dodonea, equus Achillis, canis Simonis magi apud Clementem *in Itinerar.*

Verum etiam si dæmon efficere potest, vt animalia suis temporibus & locis apte quædam, personis & rebus accommodata loquerentur, animalia tamen casu duntaxat & fortuito id faciunt, eademque ratione Magus per dæmonem efficere potest, vt homo latrare, vlulare, &c. audiatur.

Par est difficultas de ea quęstione, An Magi bestiarum voces intelligãt, assentitur Porphyr. qui de Apollonio Tyanæo dici solitum asserit, illum

illum cum audisset hirundinem cum multis vociferantem, sodalibus suis, quos secum habebat, exposuisse, indicare eam ceteris, asellum onustum frumento ante vrbem cecidisse, frumentumque effusum esse: Hæc tamen nobis non probantur, ratio, bestiæ ratione carent, & ob id discursu, qui ad sermonem ex instituto proferendum requiritur, destituuntur. Posset tamen dæmon, qui affectus corporis & appetitum, quem inuicem bestiæ vocibus suis indicant, perfectissimum habet, magis indicare & patefacere, quod non adeo incredibile.

CAPVT XVIII.

De Extasi & raptu Magico.

EXtasis siue raptus Magicus à dæmone efficitur in homine, dum eius sensus exteriores duobus modis ligare

ligare ſolet: Aliquando enim tramites illos obſtruit, quibus à cerebro ſpiritus ſenſitiui ſe ad exteriores ſenſus penetrant, veluti ſomniantibus contingere ſolet, Interdum eoſdem ſpiritus ſenſitiuos ab externis ſenſibus ad interni ſenſus organa attrahit, & ibi retinet, ne ad externorum ſenſuum organa deſcendant. Sic cõtingit, vt in raptu ob nimiam internarum virium ſenſitiuarum applicationem, & ſpirituum ſenſilium ad interni ſenſus organa confluxum, adeo exteriorum ſenſuum munia impediantur, vt corpus viuum cadaueris & defuncti ſpeciem præ ſe ferat. Et hæc naturalis eſt cauſa raptus, eumq; dæmon præſtare poteſt: præſtatque in Magorum & ſagarum extaſi, qua rapti vno in loco permanentes, ſoporati, variis in locis ſeſe fuiſſe decepti falſo autumant. Simile de Lappiis Magis Olaus *lib.3. c.18. Sept. Reg. deſcr.* refert:

refert: Si quis inquit, peregrinus cupiat de ſuorum cõditione certi quid cognoſcere, præſtant, vt intra viginti quatuor horarum ſpatium reſciſcat, quid cum illis agatur, vel ſi trecentis miliaribus abſint: hoc modo: Incantator poſtquam vſitatis ceremoniis Deos ſuos compellauit, ſubito collabitur, & exanimatur, quaſi extincto illo reuera è corpore anima excedat. Neque enim aut ſpiritus in eo reliquus eſſe, aut reſtare cum vita ſenſus aliquis, motusue videtur: ſed vt adſint ſemper aliqui oportet, qui proiectum & exanime corpus cuſtodiãt, quod ſi nõ fit, dæmones id abripiunt. Horis viginti quatuor elapſis, reuertente ſpiritu, ſeu è profundo ſomno, cum gemitu expergiſcitur exanime corpus, quaſi reuocetur in vitam ex morte qui conciderat. Poſtea ſic reſtitutus ad interrogata reſpondet, & vt fidem faciat percontatori, recẽſet aliquid,

aliquid, quod agnoſcat ille, & certo ſciat in ædibus ſuis, aut cognatorum fuiſſe. Hæc de raptu.

CAPVT XIX.

De dæmonum apparitionibus, ſiue de ſpectris, quæ dæmones hominibus obiiciunt.

IN confeſſo eſt multa vulgo haberi pro ſpectris, quæ tamen vel naturalia ſunt, vel artificio fiunt: Accedunt his, quæ vitio ſenſuum aut vitiatæ phantaſiæ imbecillitate talia, qualia non ſunt, apparent, Naturalia videnda apud Ariſtotel. *de admir. audit.* Sen. *lib.* 3. *nat. quæſt.* & Plin. *lib.* 2. *natur. hiſtor. c.* 95. *& lib.* 16. *c.* 1. Appone ſonos mirificos ex vterinis ſuffocationibus ortos, qui impetitis medicis quandoq; imponere ſolent: quãdo ſcilicet, vt ait Corn. Gemm. *lib.* 1.

Cosmocrit. cap. 7. à venenato spiritu inflatæ arteriæ diductæque in amplitudinem, secundum longitudinem contrahuntur, vnde necesse sit aliquando mulierem strangulari, inde & voces mirandas ex imis visceribus exaudiri, nunc velut ranarum coaxatus, nunc serpentum sibilos, nunc crocitus coruorum, gallorum cantus, latratus canum, &c. quæ tamen pro viarum & erumpentis spiritus proportione casus effingit.

Artificialia itidem sæpe spectatores decipiunt, & pro spectris, cum non sint, habentur, in horum numero sunt Dædali automata, Archimedis, Architæ & recentiorum artificiosissima & summe admiranda inuenta, de quibus suo loco: Itidem & artificiosæ voces quorundam, quibus cum sint præsentes, voces absentium simulant.

Verum vt exactiorem spectrorum cogni-

cognitionem haurire poſſimus, de dæmonum variis generib. agendum prius ducimus: & quidem ex Trithemij *lib. quæſt. ad Maximilianum Imper. quæſt. 5.* quæ hic ſubiungere placuit.

Primum genus dæmoniorum appellatur *Igneum*, quod circa ſuperiorem peruagatur aerem, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demergitur, ſed continuo ſub regionibus permanentes ſublunaribus nullum habent cum hominibus in terra commercium, nullumque cum maleficis conſortium, quoniam cum demorentur in igne, propter ſubtilitatem ſuam nõ poſſunt corpus groſſum ſiue aereum inducere.

Secundum genus *Aereum* dicitur, quod in aere errans nobis propinquo commoratur. Hi quidem poſſent ad inferiora deſcendere, & aſſumptis de craſſiore aere corporibus,

quandoq; hominibus apparere. Aera permittente Deo, sæpius turbant, tonitrua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem humani generis conspirant. More hominum affectionibus mouentur passionum, superbia maximè & inuidia, tar gunturque perturbationibus assiduis, & nec solito vestiuntur corpore, nec vno consistunt loco. Nec vnã omnes formam habent, sed plurimas, easq; sæpius mutant, secundum varietatem affectionum, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus euocati, vel impulsi perturbatione ad nocendum. Habent enim violentum omninò & furiosum morem turbationibus plenum, vnde vehementer malefacti & perturbati repentinas plurimum machinantur insidias, & dum suas agunt incursiones, partim latere volunt, partim inferũt violentiam. Maleficæ horum dæmonum

num operatione ſuffultæ,tanto ſunt ad maleficandũ potentiores,quanto ſuperiorem ex eorum ordine cõcurrentem fuerint aſſecutæ.

Tertium genus dæmonum *terreſtrium* dicimus,quos delaplos è cœlo cum aliis, pro ſuis demeritis minimè dubitamus. Ex his autem dæmonibus alij verſantur in ſiluis atque nemoribus, qui venatoribus ponunt inſidias, alij vero patulis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itineranres,nonnulli demorantur in locis abditis atque cauernis, reliqui ceteris minus furioſi ac perturbati demorari cum hominibus in obſcuro delectantur. Non vno ducuntur affectu,ſed vario, quoniam alij ſunt alijs minus deprauati, quanquam omnes ſint malis perturbationib. pleni. Ex his quidam gaudent ſolis illuſionibus territare homines, alij prædictionibus futurorum in admi-

rationem sui trahere volunt audientes, nonnulli vero ad hoc summo conatu laborant, vt homines irrationabili furore turbatos, aut melancholia furentes terreant, lædant, vel occidant, quod experientia sæpiùs sæ. ctum agnouimus. Commorantur tamen interdum, & pollicentur vesanis in vitro, aut crystallo siue speculo, & carminibus cõcitati responsa dant mulierculis, & si quis venturus in via maledixisset, pronunciant.

Quartum genus dæmonum denominatur *aquaticum*, quoniam se humoribus immergens circa fluuios & lacus inhabitat, ira plenum, turbatum, inquietum, & fraudulentum, quod in mari tempestates concitat, nauigiaque demergens in profundum, multis vitã aufert in aquis. Et isti dæmones, quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentius appa-

apparent fœmineo, in maſculino rarius videntur, propterea quod in locis verſantur humidis, & molliorem vitæ ductum ſequuntur, nec virorũ ſchema facile ceterorum conſuetudine poſſunt aſſumere. Vnde Naiades, Nereidesq; Nymphas aquarum, non maſculino, ſed fœminino ſexu nominauit antiquitas.

Quintum genus *ſubterraneum* dicitur, quod in ſpeluncis & cauernis montiumque remotis concauitatibus demoratur. Et iſti dæmones affectione ſunt peſſimi, eosq; inuadunt maxime, qui puteos & metalla fodiunt, & qui theſauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratiſſimi. Hiatus efficiunt terræ, ventosque flammiuomos ſuſcitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquando de montibus turmatim egreſſi mirandas ſtupendasque in campis ducunt

Digitized by Google

rationem sui trahere volunt audientes, nonnulli vero ad hoc summo conatu laborant, vt homines irrationabili furore turbatos, aut melancholia furentes terreant, lædant, vel occidant, quod experientia sæpiùs factum agnouimus. Commorantur tamen interdum, & pollicentur vesanis in vitro, aut crystallo siue speculo, & carminibus cõcitati responsa dant mulierculis, & si quis venturus in via maledixisset, pronunciant.

Quartum genus dæmonum denominatur *aquaticum*, quoniam se humoribus immergens circa fluuios & lacus inhabitat, ira plenum, turbatum, inquietum, & fraudulentum, quod in mari tempestates concitat, nauigiaque demergens in profundum, multis vitã aufert in aquis. Et isti dæmones, quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentius appa-

apparent fœmineo, in maſculino rarius videntur, propterea quod in locis verſantur humidis, & molliorem vitæ ductum ſequuntur, nec virorũ ſchema facile ceterorum conſuetudine poſſunt aſſumere. Vnde Naiades, Nereidesq; Nymphas aquarum, non maſculino, ſed fœminino ſexu nominauit antiquitas.

Quintum genus *ſubterraneum* dicitur, quod in ſpeluncis & cauernis montiumque remotis concauitatibus demoratur. Et iſti dæmones affectione ſunt peſſimi, eosq; inuadunt maxime, qui puteos & metalla fodiunt, & qui theſauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratiſſimi. Hiatus efficiunt terræ, ventosque flammiuomos ſuſcitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquando de montibus turmatim egreſſi mirandas ſtupendasque in campis ducunt

choreas,& quasi vnius ducis metuẽtes imperium, subito euanescunt ad signum, & ad sua diuerticula reuertuntur. Interdum nolarum inter eos auditur sonitus, & se nonnunquam spiritus hominum vita defunctorum mentiuntur.

Ex his quoq; dæmonibus quidam incubones sunt thesaurorum, quos auaritia mortalium in terra abscondit,& ne rursus in visus hominũ perueniant,eos subducunt, furantur, & custodiunt, & quandoq; de loco in locum transportant.

Sextum genus dæmonum appellatur *Lucifugum*, propterea quod lucem maximè horrent & detestantur, qaia nec diebus vnquam apparent, nec alio modo corpus, quam de nocte possunt accipere. Genus dæmonum imperscrutabile, ac penitus tenebrosum,passionibus frigidis agitatum, malitiosum, inquietum & perturba-

turbatum, quod occurrentes homines violenter comprimit nocturnis horis, sæpiusque Deo permittente aut flatu quosdam interficit, aut contactu.

Hæc, additis tamen nonnullis, de dæmonum generibus Trithemius, nos singula exemplis & historiarum authoritate confirmabimus.

Dæmones ab Hebraicis Malachim raaim, vocati, olim pluribus, quam nunc, formis apparuerunt, vnde nata illa veterum de infernalium Deorum multitudine opinio, quorum præcipuos videamus.

Hecate triuiorum & quadriuiorum præses, triplici facie, equi dextra, sinistra canis, media fœminæ, ea aduentante terra tremebat, & tædarum fulgor cernebatur, etiam Empusa dicebatur, fuit vxor Plutonis, & eadem quæ & Proserpina.

Pluto, Deus diuitiarum, qui &

Digitized by Google

Mammon Hebræis, Ægyptiis Serapis.

Charon, de quo Virg. 6. *Aeneid*. Homer. & Sen. *in Herc. fur.*

Cerberus, canis terræ, eo enim nomine dæmones à Zoroastre vocantur.

Alastores, admodum truculenti, forte iidem cum Nemesi, quæ vltrix scelerum.

Satyri, horum princeps Faunus, iis terribiles & inopinati soni tribuebantur, pro quibus auerruncandis Ioui Fauno prisci immolabant, eratque ei dicata ædes in Auentino. Dicuntur & Ægypanes, capripedes, quales à poetis finguntur, horum tripudia sæpe in Atlante monte visa feruntur.

Eurynomus, dæmon longis & prominulis dentibus, corpore liuido ac cadaueroso formidabilis, pelle vulpina tectus, vescitur cadaueribus mortuo-

Digitized by Google

mortuorum, eaque vſque ad oſſa deuorat.

Succedunt *Sphynx* illa adeo decantata, de qua Strabo *libr.* 9. Apollod. *lib.* 3. *Biblioth. Harpyiæ*, de quibus Heſiod. *in Theog.* Apollod. *lib.* 1. *Biblioth. Gorgones* tres, *Sirenes*, quæ & *Erinnyes*, ſiue *Eumenides* tres, Nymphæ, eæque vel aereæ, vt Sibyllæ, vel terreſtres, vt Oreades, Napeæ, Dryades, Hamadriades, vel denique aquaticæ, vt Nereides, Naiades, quas omnes dæmonum ſpectra fuiſſe conſtat. Huc ſpectant nutricum terriculamenta, quibus infantes terrent.

CAPVT XX.

De Diuinationibus.

DE Magia hactenus in genere, & dæmoniorum ſpeciebus variis, ſequitur Diuinatio, quæ eſt *ſignificatio occultorum ex pactis conuentis cum*

dæmone, estque tam futurorum, quam præteritorum & præsentium, modo illa occulta sint, & ab hominum cognitione remota, nec natura, arteue perficitur, sed pacto cum dæmonib. inito: estque illud pactum itidem vel expressum, vel tacitum.

Sciendum, dæmonem nõ omnia, sed tantum quædam diuinatione reuelare posse: nec enim certo aliquid præscire potest, sed ex verisimilibus præ se fert præscire, apud eos, qui ei seruiunt. Certo enim prædicere non potest ea, quæ omnino libere sunt futura, qualia sunt, quæ à voluntate Dei sola dependent, itidem quæ ex humani arbitrij libertate, & denique quæ omnino & proprie futura sunt contingentia, quamdiu causam certam & determinatam non habent. Potest tamen ex his, quæ certo non nouit, multa probabiliter tantum & per coniecturas prædicere, ob summam

mam ſcilicet experientiam, & ingenij acumen, quo naturalium rerum facultates, voluntates hominum, & affectus præclare nouit.

Poteſt & ea prædicere, quæ à cauſis neceſſariis dependent, & ab aliis cauſis naturalibus nequeunt impediri: Quæ vero non neceſſario, ſed vt plurimum duntaxat, eueniunt, & ab aliis naturalibus cauſis impediri poſſunt, per coniecturas cognoſcit, & probabiliter prædicere ſolet. Itidem & ea certò quæ à Deo ſibi permiſſa nouit, prædicere poteſt. Pollet etiam præteritorũ exacta cognitione, quoad præſentia vero, quæcunque actu exteriore ſunt prædita, nouit etiam & præfari poteſt. Quin imo, ſi cogitationes hominum vultu, vel membri alicuius motu, aut mutatione, vel alio extrinſeco ſigno prodantur, peritiſſime eas reuelare & prædicere poteſt. Solet etiam homines interdũ

phantaſmatibus immiſſis adeo perturbare, vt vix ad aliud aduertere, vel cogitare poſſit, quam quod tali modo ei ſuggeſtum eſt, & ſic etiam cogitationes hominis prædicit. Solet etiam interdum ea celeritate in prædicendo vti, vt ea quæ alibi longo interuallo geſta ſunt, celeriter annunciet, vt diu ante prædicta ab ignaris exiſtimentur: Ambigue tamen plerunq; reſpondere ſolet, vt in vtramvis partem flecti & interpretari eius dicta poſſint, quod in veterum oraculis ſit manifeſtum.

Diuinatio autem ſuperſtitioſa & illicita eſt, inprimis ſi dæmoni cultus latriæ vel duliæ exhibetur: quod & Alcimus ille Auitus agnouit, qui *libr. 2. carm. c. 15.* ſic canit:

Nec minus hos pulſat temeraria cura ſciendi,
Angit præſcitus ducti quos terminus æui;
Cum tamen eductas inferni ſedibus vmbras

Collo-

Colloquium miſcere putèt, & nota referre:
Spiritus erroris, qui tum bacchatur in illis,
Ad conſulta parat, vanis reſponſa figuris.
Ne vero multis dicamus ſingula verbis,
Preſenti illuſus, damnabitur ille perenni
Iudicio, quiſquis veritum cognoſcere tentat.

CAPVT XXI.

De ſpeciebus Diuinationis.

DIuinationum ſpecies duæ ſunt, in quibus ſcilicet apertum pactum, ſiue inuocatio interuenit, Dæmonomantia ſcilicet, & Mangania, Dæmonomantiæ, ſiue oraculorum, & vaticiniorum exempla ſunt, oracula Iouis Dodonæi, Ammonis, Apollinis Delphici, Delij;, Veneris Gazenſis, fiebantque hæc oracula plerumque per maleficos, maleficasue, tales fuere Pythię, vates Colophonij, Trophonij, forſan & Sibyllæ, tales & Extatici, quià dæmone extra ſe rapti, motu,

motu & ſenſu priuati, mira enunciare ſolent.

CAPVT XXII.

De Necromantia.

NEcromantia Manganiæ ſpecies præcipua, olim certis locis ſtatis & certis ceremoniis exercebatur: Hanc deſcribunt inter alios Poetæ Horat. *Sat.* 8.

---carminibus quæ verſant atq; venenis
Humanos animos, has nullo perdere poſſum
Nec prohibere modo, ſimul ac vaga Luna decorum
Protulit os, quin oſſa legãt, herbasq; nocẽtes.
Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoq; capillo,
Cum Sagana maiore vlulantem, (pallor vtraq;
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam.

Cæperunt,

Cæperunt, cruor in fossam diffusus, vt inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea, maior
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat seruilibus, vtq;
Iam peritura modo Hecaten vocat altera
sæuam,
Altera Tisiphonem.

Tertullianus tamen docet, non defunctorum vmbras, sed ipsos dæmones earum loco apparere, & operari sub earum prætextu ac specie. Operatio sane periculosa, & respondenti, & quærenti, cum vterque interdum vel mente abalienetur, vel à Dæmone rapiatur. Exempla apud scriptores obuia sunt.

CAPVT XXIII.

De Hydromantia, & aliis Manganiæ speciebus.

HYdromantia, siue diuinatio per aquas, veteribus plurimum vsitata:

tata: inter alios Imperatori Andronico, qui ob ingentia flagitia cunctis seſe inuiſum ſciens, totum permiſit iis, qui futura ex aquis, quaſi per caliginem coniiciunt, & imagines futurarum rerum, velut ex vmbra ſolarium radiorum, conſectantur. Ac ipſe quidem iis nocturnis ſacris intereſſe noluit, metu famæ, ſed illud Hagiochriſtophoritę Stephano mandauit. Is Setho adhibito, qui ab ineunte ætate talibus oraculis deditus, oculos propterea Manuelis Imp. iuſſu amiſerat, certo ritu percunctatur, quis poſt Andronicum ſit imperaturus, malus genius in aquis primas nominis Iſaaci literas exhibuit, ſed ordine conuerſo, SI, pro IS, idq; ſecunda reſponſione addidit fore intra exaltationem crucis.

Variæ eius ſunt ſpecies, vna per annulum fiebat de filo in aqua ſuſpenſum, & vaſculi latera conſtitutis

ictibus

Digitized by Google

ictibus pulſantem, alia coniectis in aquam ſtatiuam tribus lapillis, & obſeruatis gyris, qui trifariam inuicem implexi, circa lapillos diffundebantur: alia ex aquæ colore ſumitur, & imaginibus in ea apparentibus. Statuebatur etiam interdum cyathus aqua plenus, & verbis immurmuratis obſeruabatur, num aqua ſponte efferueſcens effunderetur. Aliqui itidem aquam in vitreum catinum effundunt, oleiq; guttulam admiſcent & ſic in aqua mira ſe cernere poſſe putant. Solebant mulieres Germanę olim ſonum, vortices & circumuolutiones ammium notare, exque iis futura præſagire.

Sunt & alia Manganię genera: Lecanomantia, quæ hodie Turcis eſt familiaris: In peluim enim aqua plenam cum variis characteribus lapides pretioſos iniiciunt, vt & auri, argentique luminas: quibus peractis reſpon-

Digitized by Google

reſponſum ex fundo peluis auditur.

Gaſtromãtia, quæ fiebat per phialas ventricoſas ſimiliter aqua plenas, & inſpectante puro puero, vel muliere prægnante, quibus reſponſi loco certæ figuræ & imagines apparebant.

Catoptromantia, quę rerum quęſitarum figuras in ſpeculis politis exhibet, hac Iulianus Apoſtata Imper. vſus fertur.

Criſtallomantia huic ſimilis, niſi quod in criſtalli fruſtis, annulis, vel aliis vaſculis incluſis, fiat, vel etiam nudis, & in cylindrum aut obeliſcum conformatis, quibus etiam dæmon ſe inhabitare fingit.

Dactylomantia dicitur annulis ad certam cœli poſituram cõſtructis, vel incantatis, & ſuper tripodem ad certa verba motis.

Onymantia, ſiue Onychomantia oleo

oleo ac fuligine impolluti pueri vnguem illinit, & quærentes vngue versus solem obuerso, certum quid submurmurantes, omnia quæ cupiebant, videbant.

Pharmacia, siue Pharmaceutria, qua vtuntur incantatores, qui diuinant solo freti dęmonis commercio, præter incantationes nihil adhibentes.

Coscinomantia, hac cribrũ imponebatur forcipi, forcipem binis digitis comprehendebant, & eleuabant, & præmissis verbis conceptis subdebant nomina eorum, de quibus suspicabantur eos furtum, vel aliud occultum crimen perpetrasse: reum vero illum putabant, quo nominato cribrum tremebat, nutabat, vel conuertebatur.

Axinomantia, qua securim rotundo infigebant palo, & ex eius motu furem deprehendi putãbant.

Cepha-

Cephalomantia priſcis Germanis in vſu fuit: fiebat capite aſini ſuper prunas aſſo.

Eſt & alia ſpecies, quæ fit per clauem, cui circumdabãt chartulam inſcriptam nomẽ ſuſpecti, deinde clauem alligabant ſacræ Scripturæ codici, hunc virgo ſuſtentabat, & verbis certis murmuratis chartula ad nomen criminoſi vertebatur, mouebaturque.

In hiſce ſpeciebus omnibus verba Magica interuenire ſolent, ideoque non dubitandum, quin pactum cum dæmone interueniat.

CAPVT XXIV.

De Haruſpicina.

HAruſpicum diuinatio erat ex viuæ adhuc victimæ obſeruatione, dum vel producebatur, vel ad aram ſiſtebatur, attrectabatur vel vinum

vinum ei infundebatur, iuxta illud Senec. *in Oedip.*

Appellite aris candidum tergo bouem
Curuoq; nunquam colla depressum iugo,
Optima sanctas victima ante aras stetit.
--- Huc propere admoue
Et sparge salsa colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra, & admotas manus
Patiuntur? ---
Vnone terram vulnere afflicti petunt?
Vtrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?

Succedit Extispicina, qua motum & singula mactatæ hostiæ membra rimabantur, maxime autem iecur: de hac, idem Seneca *in eadem Tragœd.* sic ait:

Genitor, quid hoc est? non leui motu, vt solent
Agitata trepidare exta, sed totas manus
Quatiunt, nouoq; prosilit venis cruor,
Cor marcet ægrū penitus, ac mersum latet,
Liuentq; venæ, magna pars fibris abest,
Et felle

Et felle nigro tabidum ſpumat iecur.
Ac ſemper omen vnico imperio graue,
En capita paribus bina conſurgunt thoris
Sed vtrumq; caſum tenuis abſcondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negãs.
Septemq; venas tendit: has omnes retro
Prohibens reuerti limes obliquus ſecat,
Mutatus ordo eſt, ſede nil propria iacet,
Sed acta retro cuncta.

Eſt & Pyromantia, in qua interdum pix trita in ignem ſpargebatur, interdum tedæ pice illitæ accendebantur, & certis characteribus ſignabantur, ſi flamma tedarum in vnum coibat, proſperum, ſi lambens & diuiſa apparebat, infelicem, ſi tricuſpis aſſurgebat, glorioſum euentum, ſi varie diſperſa, ægro mortem, ſano morbum, ſi crepitans infortunium, ſi ſubito extincta, ingens periculum ominabantur. Interdum hoſtiam in ignem coniiciebant, & conſiderabãt flammam ignis, victimarij, vtrum

ſcilicet

scilicet in vnam coiret pyramidem, quod prosperum putabant, an verò diuideretur, hoc enim aduersum: An etiam flamma cito victimam comprehenderet, an subito extingueretur. De hac idem Poeta.

Tir. *Quid flamma? largas iamne comprehendit dapes?*

Man. *Subito refulsit lumen, & subito occidit.*

Tir. *Vtrũne clarus ignis, & nitidus steterit,*
Rectusq; purum verticem cœlo tulit,
Et suminam in auras fusus explicauit comam?
An latera circumserpit incertus vias,
Et fluctuante turbidus fumo labat?

Man. *Nõ vna facies mobilis flammæ fuit,*
Imbrifera quales implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curuata picto nunciat nimbos sinu.
Quis desit illi quisue sit dubites color:
Cærulea fulvis mista oberrauit notis
Sanguinea rursus, vltimũ in tenebras abit:

Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit——
Immugit aris ignis, & trepidant foci.

Est & alia species Captromantia obseruatrix fumi, Vel enim grana sesami, vel papaueris nigri in ardentes prunas iaciebant, & inde surgentem fumum notabant, vel sine huiusmodi granis solum fumum obseruabant, de quo Dion Cassius. Huc illud pertinere puto de Nymphæo prope Apolloniam: Ibi & oraculum (inquit) editur, idque hoc modo. Thure accepto, precibus eius rei ergo, quam volunt, factis, ipsum thus, vt secum eas preces deferat, ad ignem proiiciunt, tum si ratum sit futurum votum, ab igni thus è vestigio corripitur, at si thus extra ignem forte deciderit, accurrens ignis id abripit & consumit, sin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus, & si in ipsam flammam coniiciatur, recedit

ab ea,

Digitized by Google

ab ea, atque effugit: Ita in vtramque partem ignis futura prædicit, morte nuptiisque exceptis.

Solet etiam diuinatio interdum ex cineribus fieri sacrificiorum: Et hodie quoque viget eius vestigium, cum res, quæ ad diuinandum proponitur, digito, vel bacillo cineri inscribitur, & cinis aeri puro permittitur, & attenditur ad literas, quæ in cinere agitato apparent. Vel cum aliquē tres personas cogitare iubēt, quibuscum matrimoniū inire optet, tum tres ducunt sulcos in cinere, ille vero iubet singulis personis suū sulcum deligere, tum auersus stare, ne sulcos videat, quos interea alter tamdiu forcipe ostendit, donec eorū vnus ab illo ter deligatur, & quam illi sulcus destinabat, ea spondetur ipsi vxor futura.

Consideratur etiam aliquando color vtriusq; laticis in sacrificiis fusi, hinc *Aen. 4. Virg.*

Vidit thuricremis cum dona imponeret aris
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros
Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorẽ.
Hoc visum nulli, non ipse effata sorori.

Solent etiam Turcæ hodie diuinationis specie quadam vti, cum ceram liquant, & aquæ guttatim instillant, figuras q; inde ortas obseruant.

Ex lauri quoque ramis diuinatio sumebatur, si enim obstrepebat cum fragore, prosperum signum existimabant, contra, si taceret extincto adusta foco.

Succedit Botanomantia, cùm ex verbenæ Lunariæ, saluiæ, myricæ, ficus & aliorum simplicium foliis, ramisue, consignatis quærentium nomine & quæstione, futuri cognitio petitur. De hac per tamaricen Cœl. Rhod. *lib.* 8. *ant. lect. cap.* 29. Apollo myrica vates sanxit prænũtiare mortalibus futura, propterea insignem fruticẽ hunc Nicander vatem vocat.

Quin

Quin & Magi item Scythæ myricino vaticinantur ligno. Sed & in Lesbo Apollo myricæ ramum tenet: &c.

Est & alia species diuinationis, ῥαβδομάντεια dicta, quæ multiplex, de ea sic Rhodig. *lib. 7. antiq. c. 29.* Virgas in rebus diuinis eximij cuiusdam vsus fuisse veteribus, ex plerisque coniectare licet. Nam qui Perficos ritus diligentius animaduertos literis mandarunt, illorum Magos, qui sacrificiis perficiuntur, carnes super myrto & lauro positas tradunt subtrilib. virgis adurere, mox oleum lacte melleque commixtum conspergere, ac comprecari, fasciculos ex myrica pertenues manutenentes. In Pyrethiorum meditullio sutrecta stabat ara, vbi inextinctus seruaretur ignis, fierentque itidem comprecationes non sine myricinis virgis. Sicut in Scythia quoq; vbi vaticini tradūtur plures, salignis virgis diuinatio con-

 cipitur,

cipitur, quas diſſoluunt, ac ſeparatim ſingulis humi conſtratis vaticinantur, interim virgas comprehendentes componentesque. Narees vero, quos eſſe Androgynos putat Herodotus, tiliam ſcindentes trifariam, digitosq; implicando ac reſoluendo præcinunt futura.

Præter has ſpecies alię itidem multæ occurrunt, quæ ad ſuperiores reduci poſſunt, & communiter ab omnibus lanioris religionis myſtis damnantur.

CAPVT XXV.

De Augurio & Auſpicio.

SEquitur Augurium & Auſpiciū, ars incerta & illicita, ab omnibus Chriſticolis, meritò damnanda, & eſt obſeruatio cunctarum rerum ſubito, & ex inopinato, & inſolito accidentium,

tium, instituta ad cognitionem futurorum, vel occultorum.

Species eius quinq; sunt. *Primum* ex cœlo, *Secundum* ex auium volatu, vel garritu, *Tertium* ex tripudio pullorum, *Quartum* ex quadrupedibus, *Quintum* ex diris & portentis sumitur.

Primum genus è cœlo captato ab augure prospectu, & cœli regione designata, exemplum auspicium, nempe tonitru, vel fulmen, siue fulgetrum, quorum alia bruta, quæ nulla ratione naturæ nitebantur, & vana prorsus erant, alia Fatidica, de quibus multa Plinius & Seneca.

Secundum ab auibus petebatur, Auium aliæ sunt oscines, quæ cantu, seu garritu, alię præpetes, quæ volatu prædicere putabantur, harumque variæ differentiæ, funebres, cliniæ, arculæ, volseræ, remoris, inebræ, &c.

De pullorum tripudio tertium.

Duo à pullariis pulli in cauea seruabantur. Primo diluculo, imperato de more silentio, puls aut offa, cauea reclusa pullis obiiciebatur, si negligerent cibum, sinistrum auspicium, si auide depascerentur, ita vt aliqua ex rostro deciderent, & terram ferirent, dicebatur Solistimum tripudium, & habebatur secundum.

Ex quadrupedibus quartum sumitur, vocabatur auspiciũ pedestre, vt apud veteres Germanos ex equorum fremitu: Proprium gentis, (inquit Tacitus) Germanæ, equorum quoque præsagia ac monitus experiri. Publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex, vel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus obseruant, nec vlli auspicio maior fides: vid. Tiraq. ad Alex. ab Alex. *gen. lib.* 5. *c.* 3.

Quin-

Quintum sunt omina, quę itidem ad auguria pertinent, ex Claudiani sententia, vbi sic canit:

Nullaq; dies non triste minatur
Augurium quoties flauentia serta comarũ
Sponte cadunt? quoties exudat ab vbere sanguis,
Larga vel inuito prorumpunt flumina vultu,
Iniussæque manus mirantia pectora tundunt?
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt.
Tympana si quatiam, planctum: mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri.

Huc referuntur omnia prodigia & ostenta, quatenus quis vanam quandam ex his instituit diuinationẽ. Horum certa interpretatio à diuina reuelatione dependet, non autem licet ea ad fortuitos euentus certo prædicendos trahere.

CAPVT XXVI.

De sortibus illicitis.

AD Manganiæ speciem etiam sors refertur, estque triplex, Diuinatoria, Consultoria, & Diuisoria.

Diuinatoria multiplex est, interdum eadem cum oraculo, vt sortes Delię, interdum à materia, cui inscribuntur, nomen mutuantur, vt quæ bacillis, talis, oscillis, pilulis, aut tabellis inscriptæ in akum, vel vrnam coniiciuntur. Est & alcatoria, de qua apud Propertium:

Me quoq; per talos Venerem quærente secundos,
Damnosi semper subsiliere canes.

De Germanis Tacitus, Sortium, inquit, consuetudo simplex, virgam fructiferæ arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargunt, mox si publice

publice consulatur, sacerdos ciuitatis, sin priuatim, ipse paterfamilias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur.

Sequitur Geomantia, quæ sedecim figuratum in abaco nomina dispungit, ex sedecim additis diuersis punctorum coordinationibus, quæ nomina suis astris putant respondere.

Est & Stoicheomantia, quæ fiebat aperto libro Homeri, vel Virgilij, & attento primo, qui obuius erat inspicienti versu. Hodie, sed impie, fit aperto Bibliorum sacrorum codice.

Alia itidem est species sortium, quando definitus locus in partes æquales describitur, & vnicuique singulæ alphabeti literæ inscribuntur, deinde singulis literis gramen fru-

menti imponitur, postea ad hoc enutritus gallinaceus introducitur, qui grana comedat, & notentur literæ, quarum primum granum depascitur. Hac vsus & deceptus est Imper. Valens in inquirendo regni successore.

Sequitur Pythagoricum commẽtum, cum peritur ex nomine consulentis per elementa nominis diuersimode collocata, & quasi per anagrammatismum fauſtum quid, vel siniſtrum indicantia, futuri boni, malive præcognitio.

Huic affinis est numerorum diuinatio, siue sors, quæ per numeros fit, vbi valor literarum consideratur, & futurus victor indicatur, cuius nomẽ maiores numeros continet. Paululum circa hanc distat Chaldæorum operatio, qui Alphabetum distribuunt in tres decades, quibusdam literis repetitis, & nomina petentiũ

resoluta

resoluta commutant in numeros, singulosque numeros suis planetis attribuunt.

Circa has sortium species notandum, vt & reliqua auguria, grauiter in illarum obseruantia peccari, maxime si quis per ea futura contingentia prædicere conatur, & semper periculosum est, iuxta illas actiones vitamque suam instituere, solet enim sæpissime Deus iusto iudicio permittere, vt tales obseruatores male pereant. Exempli loco sit, quod Bucananus *lib. 4. rer. Scot.* narrat de Nataloco Scotorum Rege, illum scilicet ipsum, à quo Rex cæsus, ad diuinos missum, vt de victoria, de vita Regis, ac regno eius percontaretur, responsum à quadam anu accepisse, regem non diu victurum, nec periculum ei ab hoste, sed à familiaribus instare. Cum ille vrgeret à quo, anum, à te, subieciisse. Ille mulierem execratus,

cum domum rediret, subijt animum illa cogitatio, nec responsum celari posse, nec edere tutũ esse, ne se apud Regem hominem prauum, & suo timori indulgentem, suspectum redderet. Itaque tutius esse, tyrannum cum multorum gratia interficere, quam cum grauissimo capitis proprij discrimine incolumem seruare. Statim igitur vbi domum rediit, impetrato ad responsa diuinorum expromenda, secreto, cæso rege, patriam seruitio, & se periculo exemit.

CAPVT XXVII.

De Coniectatione.

CONiectatio sequitur sortium doctrinam, estque & licita & illicita, & quidem vel Physica, siue naturalis, vel politica.

Naturales coniectationes sunt, quæcunquæ causis naturalibus vere inni-

innituntur, vt sunt coniectationes agricolarum, nautarum, medicorum &c.

Coniectatio quæ ex astris sumitur duplex est, Astronomia, quæ licita, & nititur principiis vniuersalibus, & incommutabilibus, & assequitur scientiam artis suæ futurorum, veluti reuolutionis annorum, eclipsium &c. Astrologia, quæ principiis communibus & variabilibus nititur, & prædicit effecta euentuum futurorum, non necessariorum, sed contingentium, quasi ab astris necessitudine aliqua dependentium.

Huius sunt partes quatuor, *Prima* circa reuolutiones versatur, & prædicit totius anni bello paceque vicissitudines, aeris salubritatem, morbos, &c. *Secunda* themata natiuitatum continet, docens quid homini tota vita sigillatim obuenturum sit. *Tertia* electionum appellatur, docens

cens quid in singulis rebus consulto & vtiliter faciendum, omittendum, quandoque quibusue locis singula agenda. Quarta est imaginum sculpendarum, præstigiosa & incerta, quoque longius à principiis communibus astronomiæ canonibus recedit, eo mendacio vanitatique propius accedit.

Pro certitudine tamen horũ subsequentes regulæ obseruandæ. 1. Astronomus non recedens à suis vniversalibus, commensuratis, & immediatis principiis, potest iuxta regulas [illegible]is suæ certo prædicere, etiam multo [illegible]ante quam eueniat annis, vniuersos illos artis suæ euentus. 2. Astrologiæ species illa prima non est superstitiosa, si tantum profitetur opinionem cum formidine contrarii. Secunda non est superstitiosa si tantum profitetur suspicionem. Tertia non est superstitiosa, si tantum dicat se

cat se estimare, quod res bene sit cessura, & reuera animo suo non plus tribuat, quam verbis præ se ferat. 3. Astrologia vllo istorum modorum vlterius tendens, & prædicens aliquid vt certo euenturum, illicita est & superstitiosa, totaque eiusmodi diuinatio incerta est & vana, nec artis aut scientiæ nomine digna.

Peccatur autem in his, quando Christianæ fidei mysteria astrorum dispositioni subiiciuntur, quando futura contingentia ex astris certo præsciri posse quis putat; & quando interrogationes & electiones cœlestibus corporibus subiiciuntur, vt certæ causæ, & tanquam legis decreto.

Improbatur autem à Deo ipso, Schola Theologorum Iurisconsultorum, Medicorum, philosophorum, Historicorum & Poetarum: & inter alios egregie Ennius poeta:

Non

comprehenduntur, & de ijs apud Philosophos abunde satis. Ad ea etiam aliquo modo, quatenus scilicet ex naturalibus principiis oriuntur, prædictiones & coniectationes medicorum etiam referri possunt, de his in genere sciendum. Signa ex quibus medici coniecturam capere solent, esse vel proba, quæ naturalibus principiis & vera experientia comprobantur, vel vana vel ambigua, Proborum quędam sanam integramque valetudinem testantur, quædam degenerantẽ, quædam succumbentem, & iam victam, quædam se recolligentem & victricẽm, n n tamen vlla tam certa sunt quin aliquando fallant: hinc prouerbialis illa locutio: præstat à sexaginta medicis, quam à scabinis sex damnari & morti addici.

CAP.

CAPVT XXIX.

De Physiognomonica prænotione.

PHysiogomus ex pilorũ & membrorum corporis colore, habitudine & proportione, de temperie, valetudine, quædam etiam de moribus, ingenio & animi affectionibus se scire putat, præcipue autem frontem considerat, & faciem. Huic affinis est chiromantia, quæ proprie manuum lineamenta considerat.

Hanc physiognomiam veteres medici, inprimis Hippocrates & Galenus diligenter excoluerunt, quin & Aristoteles integro libro, & Polemon in libro de naturæ signis.

Artis fundamenta varia sunt, primum petitur à quadam cum animãtibus similitudine, verbi gratia qui paruis sunt oculis, inuidi censentur,

quia

quia simię tales sunt, qui magnis, stupidi, sicut boues & asini, ratio horū affertur, quia cum Deus autor naturæ gnarus esse, qua quodq; animal indole donasset, singulis etiam ea addidit instrumenta quæ huic indoli quam aptissima forent: ferocibus vt leoni, apro, tauro, vngues, dentes, cornua, timidis ac fugacibus, vt lepori & ceruo, artus celerrimæ fugæ necessarios, fortibus araturis, vel onera baiulaturis gibbum, dorsi humerorumque robur, vt Camelo, boui, equo & similibus.

Secundum fundamentum à moribus gentium atque prouinciarum desumitur, quæ cum certo sint corporis habitu, vt plurimum quoque ingeniis moribusque discrepant, verbi gratia Physiognomi definiunt nimium fuscos stupidos ac pertinaces esse, quoniam Æthiopes sunt huiusmodi.

Ter-

Tertium à ſexu, verbi grátia, quia mulieres candida, vt plurimum & molli ſunt cute, ſuntque pauidæ ac leues, ideo candidos, & molli cute moribus iisdem obnoxios cenſent. Huius ſecundi & tertii fundamenti ratio ſumitur à complexione. Cum enim eadem temperies cutis cauſa ſit huiuſmodi: rationantur in quocunque cutis ſit talis, talem etiam eſſe temperiem. Quare ab eadem eiusdem temperiei ratione, ſimiles mores expectandos eſſe.

Quarto rimantur affectus animi, à motu membrorum & corporis affectionibus, tale eſt illud Hippocratis: Oculi non nictantes ſunt iracundi, quoniam irati fixis & immotis oculis intuentur: ſic Martialis argumentatur.

Crine ruber, niger ore, brevis pede lumine læſus,
Rem magnam præſtas zoile, ſi bonus es.

Quin-

Quintum fundamentum petitur ex collatione ſignorum cum ſignis, & quibusdam alia colligunt, verbi gratia inuidiam ex iracundia cui triſtitia & animi prauitas ſit adiuncta.

Hinc infertur Canon talis:

Phyſiognomica conſiſtens intra cancellos naturalis philoſophiæ, licita eſt, & habet aliquid probabilitatis.

Probatur quia poſitorum fundamentorum aliqua ſunt probabilia, quædam minus, quædam amplius.

Probatur ſecundo ex ſacris literis, in quibus virorum robuſtorum facies dicũtur ſimiles, faciei leonum. Item, quod in facie prudentis lucet ſapientia.

Tertio ex iuris interpretibus, quorum communiore calculo receptũ, quando plures de aliquo crimine ſunt accuſati, & capti, primum quæſtione ſubiici debere illum, qui facie defor-

CAPVT XXVI.

De ſortibus illicitis.

AD Manganiæ ſpecies etiam ſors refertur, eſtque triplex, Diuinatoria, Conſultoria, & Diuiſoria.

Diuinatoria multiplex eſt, interdum eadem cum oraculo, vt ſortes Delię, interdum à materia, cui inſcribuntur, nomen mutuantur, vt quæ bacillis, talis, oſcillis, pilulis, aut tabellis inſcriptæ in alueum, vel vrnam coniiciuntur. Eſt & aleatoria, de qua apud Propertium:

Me quoq; per talos Venerem quærente fecundos,
Damnoſi ſemper ſubſiliere canes.

De Germanis Tacitus, Sortium, inquit, conſuetudo ſimplex, virgam fructiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt, mox ſi publice

publice consulatur, sacerdos ciuitatis, sin priuatim, ipse paterfamilias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur.

Sequitur Geomantia, quæ sedecim figurarum in abaco nomina dispungit, ex sedecim additis diuersis punctorum coordinationibus, quæ nomina suis astris putant respondere.

Est & Stoicheomantia, quæ fiebat aperto libro Homeri, vel Virgilij, & attento primo, qui obuius erat inspicienti versu. Hodie, sed impie, fit aperto Bibliorum sacrorum codice.

Alia itidem est species sortium, quando definitus locus in partes æquales describitur, & vnicuique singulæ alphabeti literæ inscribuntur, deinde singulis literis gramen fru-

menti imponitur, postea ad hoc enutritus gallinaceus introducitur, qui grana comedat, & notentur literæ, quarum primum granum depascitur. Hac vsus & deceptus est Imper. Valens in inquirendo regni successore.

Sequitur Pythagoricum commētum, cum petitur ex nomine consulentis per elementa nominis diuersimode collocata, & quasi per anagrammatismum faustum quid, vel sinistrum indicantia, futuri boni, maliue præcognitio.

Huic affinis est numerorum diuinatio, siue sors, quæ per numeros fit, vbi valor literarum consideratur, & futurus victor indicatur, cuius nomē maiores numeros continet. Paululum circa hanc distat Chaldæorum operatio, qui Alphabetum distribuunt in tres decades, quibusdam literis repetitis, & nomina petentiū resoluta

resoluta commutant in numeros, singulosque numeros suis planetis attribuunt.

Circa has sortium species notandum, vt & reliqua auguria, grauiter in illarum obseruantia peccari, maxime si quis per ea futura contingentia prædicere conatur, & semper periculosum est, iuxta illas actiones vitamque suam instituere, solet enim sæpissime Deus iusto iudicio permittere, vt tales obseruatores male pereant. Exempli loco sit, quod Bucananus *lib. 4. rer. Scot.* narrat de Nataloco Scotorum Rege, illum scilicet ipsum, à quo Rex cæsus, ad diuinos missum, vt de victoria, de vita Regis, ac regno eius percontaretur, responsum à quadam anu accepisse, regem non diu victurum, nec periculum ei ab hoste, sed à familiaribus instare. Cum ille vrgeret à quo, anum, à te, subiecisse. Ille mulierem execratus,

cum domum rediret, subijt animum illa cogitatio, nec responsum celari posse, nec edere tutũ esse, ne se apud Regem hominem prauum, & suo timori indulgentem, suspectum redderet. Itaque tutius esse, tyrannum cum multorum gratia interficere, quam cum grauissimo capitis proprij discrimine incolumem seruare. Statim igitur vbi domum rediit, impetrato ad responsa diuinorum expromenda, secreto, cæso rege, patriam seruitio, & se periculo exemit.

CAPVT XXVII.

De Coniectatione.

CONiectatio sequitur sortium doctrinam, estque & licita & illicita, & quidem vel Physica, siue naturalis, vel politica.

Naturales coniectationes sunt, quæcunquæ causis naturalibus vere inni-

innituntur, vt sunt coniectationes agricolarum, nautarum, medicorum &c.

Coniectatio quæ ex astris sumitur duplex est, Astronomia, quæ licita, & nititur principiis vniuersalibus, & incommutabilibus, & assequitur scientiam artis suæ futurorum, veluti reuolutionis annorum, eclipsium &c. Astrologia, quæ principiis communibus & variabilibus nititur, & prædicit effecta euentuum futurorum, non necessariorum, sed contingentium, quasi ab astris necessitudine aliqua dependentium.

Huius sunt partes quatuor, *Prima* circa reuolutiones versatur, & prædicit totius anni bello paceque vicissitudines, aeris salubritatem, morbos, &c. *Secunda* themata natiuitatum continet, docens quid homini tota vita sigillatim obuenturum sit. *Tertia* electionum appellatur, docens

cens quid in ſingulis rebus conſulto & vtiliter faciendum, omittendum, quandoque quibusue locis ſingula agenda. Quarta eſt imaginum ſculpendarum, præſtigioſa & incerta, quoque longius à principiis communibus aſtronomiæ canonibus recedit, eo mendacio vanitatique propius accedit.

Pro certitudine tamen horũ ſubſequentes regulæ obſeruandæ. 1. Aſtronomus non recedens à ſuis vniverſalibus, commenſuratis, & immediatis principiis, poteſt iuxta regulas artis ſuæ certo prædicere, etiam multis antequam eueniat annis, vniuerſales illos artis ſuæ euentus. 2. Aſtrologiæ ſpecies illa prima non eſt ſuperſtitioſa, ſi tantum profitetur opinionem cum formidine contrarii. Secunda non eſt ſuperſtitioſa ſi tantum profitetur ſuſpicionem. Tertia non eſt ſuperſtitioſa, ſi tantum dicat ſe

cat se estimare, quod res bene sit cessura, & reuera animo suo non plus tribuat, quam verbis præ se ferat. 3. Astrologia vllo istorum modorum vlterius tendens, & prædicens aliquid vt certo euenturum, illicita est & superstitiosa, totaque eiusmodi diuinatio incerta est & vana, nec artis aut scientiæ nomine digna.

Peccatur autem in his, quando Christianæ fidei mysteria astrorum dispositioni subiiciuntur, quando futura contingentia ex astris certo præsciri posse quis putat: & quando interrogationes & electiones cœlestibus corporibus subiiciuntur, vt certæ causæ, & tanquam legis decreto.

Improbatur autem à Deo ipso, Schola Theologorum Iurisconsultorum, Medicorum, philosophorum, Historicorum & Poetarum: & inter alios egregie Ennius poeta:

Non

Non habeo deniq; nauci Marsum augurē,
Non Vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos coniectores non interpretes somniū.
Non.n. sunt ij aut arte diuina, aut scientia,
Sed superstitiosi vates, impudentesq; arioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias.
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt:
De his diuitiis sibi deducant drachmā, reddant cetera.

CAPVT XXVIII.

De coniectatione ex elementis, meteoris, plantis, arboribus, brutis.

COniectationes hæ, de quib. sub titulo, omnes sub naturalibus compre-

comprehenduntur, & de ijs apud Philosophos abunde satis. Ad ea etiam aliquo modo, quatenus scilicet ex naturalibus principiis oriuntur, prædictiones & coniectationes medicorum etiam referri possunt, de his in genere sciendum. Signa ex quibus medici coniecturam capere solent, esse vel proba, quæ naturalibus principiis & vera experientia comprobantur, vel vana vel ambigua, Proborum quędam sanam integramque valetudinem testantur, quædam degenerantē, quædam succumbentem, & iam victam, quædam se recolligentem & victricēm, n n tamen vlla tam certa sunt quin aliquando fallant: hinc prouerbialis illa locutio: præstat à sexaginta medicis, quam à scabinis sex damnari & morti addici.

CAP.

CAPVT XXIX.

De Physiognomonica prænotione.

PHysiogomus ex pilorũ & membrorum corporis colore, habitudine & proportione, de temperie, valetudine, quædam etiam de moribus, ingenio & animi affectionibus se scire putat, præcipue autem frontem considerat, & faciem. Huic affinis est chiromantia, quæ proprie manuum lineamenta considerat.

Hanc physiognomiam veteres medici, inprimis Hippocrates & Galenus diligenter excoluerunt, quin & Aristoteles integro libro, & Polemon in libro de naturæ signis.

Artis fundamenta varia sunt, primum petitur à quadam cum animãtibus similitudine, verbi gratia qui paruis sunt oculis, inuidi censentur, quia

quia simię tales sunt, qui magnis, stupidi, sicut boues & asini, ratio hortũ affertur, quia cum Deus autor naturæ gnarus esset, qua quodq; animal indole donasset, singulis etiam ea addidit instrumenta quæ huic indoli quam aptissima forent: ferocibus vt leoni, apro, tauro, vngues, dentes, cornua, timidis ac fugacibus, vt lepori & ceruo, artus celerrimæ fugæ necessarios, fortibus araturis, vel onera baiulaturis gibbum, dorsi humerorumque robur, vt Camelo, boui, equo & similibus.

Secundum fundamentum à mõribus gentium atque prouinciarum desumitur, quæ cum certo sint corporis habitu, vt plurimum quoque ingeniis moribusque discrepant, verbi gratia Physiognomi definiunt nimium fuscos stupidos ac pertinaces esse, quoniam Æthiopes sunt huiusmodi.

Ter-

Tertium à ſexu, verbi grátia, quia mulieres candida, vt plurimum & molliſunt cute, ſuntque pauidæ ac leues, ideo candidos, & molli cute moribus iisdem obnoxios cenſent. Huius ſecundi & tertii fundamenti ratio ſumitur à complexione. Cum enim eadem temperies cutis cauſa ſit huiuſmodi: rationantur in quocunque cutis ſit talis, talem etiam eſſe temperiem. Quare ab eadem eiusdem temperiei ratione, ſimiles mores expectandos eſſe.

Quarto rimantur affectus animi, à motu membrorum & corporis affectionibus, tale eſt illud Hippocratis: Oculi non nictantes ſunt iracundi, quoniam irati fixis & immotis oculis intuentur: ſic Martialis argumentatur.

Crine ruber, niger ore, brevis pede lumine læſus,
Rem magnam præſtas zoile, ſi bonus es.

Quin-

Quintum fundamentum petitur ex collatione signorum cum signis, & quibusdam alia colligunt, verbi gratia inuidiam ex iracundia cui tristitia & animi prauitas sit adiuncta.

Hinc infertur Canon talis:

Physiognomica consistens intra cancellos naturalis philosophiæ, licita est, & habet aliquid probabilitatis.

Probatur quia positorum fundamentorum aliqua sunt probabilia, quædam minus, quædam amplius.

Probatur secundo ex sacris literis, in quibus virorum robustorum facies dicūtur similes, faciei leonum. Item, quod in facie prudentis lucet sapientia.

Tertio ex iuris interpretibus, quorum communiore calculo receptū, quando plures de aliquo crimine sunt accusati, & capti, primum quæstione subiici debere illum, qui facie defor-

deformior est, quoniam credendus talis quoque animo prauior & corruptior.

Quarto sententia Philosophorum probatur, Pythagoræ, Socratis, Platonis, Aristotelis, Ciceronis & aliorum infinitorum.

CAPVT XXX.

De coniectatione ex somniis.

SOmnium est motus, aut figmentum animæ multiforme, futurorum bonorum, vel malorum significatiuum.

Huius prædictionis fundamentum est experientia, & quædam similitudo proportionis rei somniatæ ad euentum. Experientia est, si vnus, vel plures, cum hoc, vel illud somniassent, talem euentum sint postea experti: Similitudo proportionis inuestigatur primo ex quodam more ac consue-

consuetudine, vt radi caput honestum est monacho, ergo si monacho acciderit id somnium prosperum ei erit, si coniugato, infelix; Secundo ex vocabuli significatione, veluti si quis audit, vel legit Serapidis nomẽ, morietur, quia Serapis idem qui Pluton & Orcus. Tertio ex rei significatione Hieroglyphica, vt si quis sibi visus sit catena ad templum alligari, fiet sacerdos. Quarto à fabulosis narrationibus, veluti visus est sibi aliquis vagus in Isthmo filium quærere, peribit filius mersione, iuxta fabulam Melicertis. Quinto de aliqua ratione astronomica, vel physica, longe petita, velut somniauit quis se lumen à luna petere, cœcus fiet, quia luna proprio lumine carer.

Huius artis tales conclusiones obseruentur. Prima, Quædam somnia verum euentum prænuntiant, quædam nullum, vel illusorium, hinc

quædam obſeruare licet, quædam non item.

Secundò, Tam certa ſunt ſomnia, quam eorum certa cauſa, ſi hæc effectum certum certo producit, etiam ſomniorum prædictio certa, ſi probabiliter, probabilis, ſi fortuito, fortuita & fallax. Hinc Theologi ſomnia diuidunt, in Diuina, Naturalia, & Dæmoniaca, Naturalia exurgunt, vel à cauſa intrinſeca ſomniãti vel extrinſeca, Intrinſeca naſcuntur, quædam ab anima inprimis, & dicitur cauſa animalis, aut moralis, quædam potiſſimum à corpore, & vocatur corporalis, Intrinſeca cauſa animalis eſt, quando ſomnia obueniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantibus valde fuit intenta.

Corporalis intrinſeca cauſa naſcitur à præſenti diſpoſitione ac temperamento corporis, quod vel inedia exhauſtum, vel crapula repletum, vel humore

humore aliquo nimis prædominante ægrescit, vel alio vitio interiore laborat. Ex his causis, vel pacata, vel turbida, vel multiformiter varia somnia nascuntur. Quibus sanguis est copiosior, rosas somniant, choreas, cõuiuia, & læta omnia. Phlegmatici, mare, aquas, balnea, nauigationes, submersiones, onera grauantia. Cholerici, colores flauos, rixas, pugnas, incendia. Melancholici fumos, caliginem, tenebras, nocturnas oberrationes, spectra, mortem & cuncta tristia. Quibus vesica humore plena, somniant de lacubus, fluuiis, imbribus. Quibus dominantur finceri puriq; succi, putant in somnis volutari se inter odoratos suauesq; flosculos, contra in sordidis versari sese, quorũ in corpore humores fœtidi putridiq; coaceruantur. Quibus viscido humore affectæ, obstructæque sunt partes cerebri posteriores, illi com-

primi ac ſuffocari ſibi in ſomnis videntur: Hic morbus Ephialtus ſiue Incubus à Latinis vocatur.

Naturalis extrinſeca ſomniorum cauſa eſt, quando dormientis imaginatio ab agente extrinſeco mouetur. Huiuſmodi agens duplex eſt, alterum aer ambiens, alterum impreſſio, ſiue influxus corporum cœleſtium.

Hinc tertia concluſio. Somniorum ex naturalibus cauſis deriuatorum, eatenus licita eſt obſeruatio, & interpretatio, quatenus cauſæ naturales effectibus cauſæ ſuæ coniunctis ſunt adæquatæ.

Diabolica ſomnia ſunt, quæ mali ſpiritus inſidioſe ſpiritibus dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi ciendas, vel ad occultorũ, aut futurorum ſignificationem. De his hæc obſeruetur concluſio, Dæmoniaca ſomnia obſeruare, vt fran-

dem

dem dæmonis caueas, licet, ad occultorum scientiam, vel euentus futuros, nec licet, nec expedit.

Diuina somnia nobis à Deo ministerio angelorum bonorum immittuntur, exempla horum in S. Scriptura obuia habentur: de his conclusio talis. Diuinorum somniorum obseruatio licita est, sed interpretatio solis conuenit illis, quibus à Deo facta est reuelatio interpretationis.

CAPVT XXXI.

De sorte diuisoria.

DIuisoria sors olim Romanis in frequenti vsu erat, & eius mentio habetur c. 1. 26. *quæst.* 2. In ea, vt peccatum caueatur, quatuor subsequentes regulæ seruentur. *Primo*, debet euentus à Deo expectari, non à casu, vel fortuna, astrisue. *Secundo*, debet adhiberi simplex sors, hue vlla

superstitione vel abusu rerum sacrarum, vel sacræ Scripturæ. *Tertio*, necesse est, vt illi qui sortiuntur, æquali iure nitantur. *Quarto*, vt principalis intentio sortes mittentium non sit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, sed præcipua intentio debet esse, vt auferantur lites, discordiæ, quærelæ, inuidiæ, quare si aliter concordia posset iniri, res sorti non esset committenda, sin vero aliter nequit discordia sopiri, bonum pacis permittit sortem conditionibus tamen prædictis seruatis.

Hæc de Magica doctrina hactenus proferre libuit, breuiuscule quidem, & quasi certa per axiomata, quæ tamen totam illam illius disquisitionem indicant, perstringunt, & rimantur, iuxta quæ etiam alias abstrusiores & occultiores quæstiones, quæ hanc circa materiam verti solent

ri ſolent, enodari ac iudicari poſſunt.

Summopere autem in hiſce omnibus cauendum, ne dæmonum aſtutia decepti, incauti operam illicitis hiſce artibus adiungamus, & tandem cum iis in æternos abripiamur cruciatus.

Digitized by Google

APPENDIX DE MIRANDIS QVIBVSDAM NATVRALI MAGIA factis operationibus.

Ex lib. 2. Mag. nat. Ioan. Bapt. Port.

Varii fructus & vina medicata.

VEteres illi ſummo ſtudio, diligentiaque ſunt enixi, quo nam modo diuerſis antidotis vinum conderent, vſuique, ſi opus foret, accommodarent, neq; hoc iniuria factum, vt nil commoditati præſtantius: & monſtrat, quod eorum pars maior multa

multa memoriæ prodidit, & curiosius, quam par fuerit, mirabilia dictu, operatuque facilia, quorũ commeminit Theophraſtus. Apud Heracliam Arcadiæ fit vinum, quod epotum viros dementat, & mulieres infœcundas reddit. Ei ſimili, quod in Trœcenſi agro ab Athenæo comprobatur. Et apud Thraſum vinum fit ſomniferum. Et aliud arte quadam conficitur, quod epotum vigilantiorem facit, variæque vinorum condituræ, quas apud diligentes rei medicę, & agriculturę ſcriptores inuenies, nec ſcitu difficiles, nec ijs arduum fore credo, qui ſimplicium vires nouerint, & coniectura conſequuntur ea denique operantur, quæ ex loci euentiunt proprietate, & vtiliſſimũ fore puto, vt iis adhibeantur, qui medicamenta timent, & horreſcunt, vt prius iucunde abſorbeant, quam odiſſe velint. Sitque primo:

Vitis Theriaca.

Pangendum ſarmentum, vt docet Florentinus primo, & ſecũdo Georgicorum ſuorum; radice tenus quatenus digitorum latitudine ſit ima parte fiſſum, ablatis medullis, ipſius vice veratrum inſeratur, ac ſtricto vimine, & terræ mandetur: vuas hoc modo dabit, quarum eſus, aluum præmollit, & euacuat.

Vel ſi efficacius vis vacuent, eadem ſarmenta antidoto ſatiata, ſcyllæ bulbo inſerendo terra recondito, ſemper medicamentum infundendo aſſidua ſuffuſione, & ſucco ſatiẽtur imbibendo, ne tam cito ſeneſcat vis.

Si autem propomata ſponte vis naſci, vt Palladius docet: E vitibus ipſe ſarmenta ponas in vas aliquod ſemiplenum potionibus vel conditis abſynthiatis, vel roſatis, vel violatis: inde terram ſimul reſoluas ad li-

xiuii modum, donec ſarmentorum oculi in germen nouę frondis erumpant, tunc ſarmenta ea, quouis loco vitium cæterarum more depones, & tales dabit fructus.

Vinum Phthorium, id eſt, quod partus enecet, & abortus faciat, ſic fiet: Scammonium, vel niger elleborus in vite inſeratur, terebra vitem pertũdito, & vitigineos ramos illos, quos voles, & fiet.

Vel circa ipſam agreſtis cucumis ſeratur, inde vim detrahens, & combibens. Vel ſi vino veratrum maceramus, idem præſtabit, & ſic diuerſarum mixturarum vires adſciſcit. Et

Ficus

Quarum eſus, aluum lęnigat, habebis, ſi radicibus veratrum, cum tithymalo tritum iniecceris, vel inſcrueris, talia dabit poma. Nec ignorandum ſępius tranſplantata, & inſita antidotum elangueſcere, tu de-

nuo ſemper addito. Mire aluum inaniunt cucurbitæ, & cucumeres, ſi eorum ſemina antequam ſeras triduo, vel biduo dictorum ſucco maduerint & enati cucumeres hoc præſtabunt. Sic habebimus

Prunæ purgatoriæ, & ſomniferæ.

Si ſomnum, & alui deiectionem moliri affectas, ſic fuerit præſtantius: Ramum, vel totam plantam terebra, inde ſcammonio, vel opio implicas, papyro, vel corticibus recte inuolutam relinquito, cumque matura fuerint poma vētris deiectionem, & ſomnum molientur.

Vel ſi citius idem affectabis, Caricas ficus, quas Iſchiadas Græci appellant, & paſſas vuas vino, vel aqua per diem macera, dum tumeſcant: vbi prius ſcammonium, vel opium diſſolueris, & ſi amarorem quēdam reſipiunt, dulce aliquod admiſce, & inſola-

insolatis vtitor. Sed de vinis hactenus medicatis.

Florum & fructuum conditura.

TAnta est siderei caloris inconstantię vis, vt omnia, quæ ambit, & sublunaris complectitur mundus, ad finem tendant, nec à motu desistant: sed non adeo hominum mentes caligant, hebescuntque sensus, quin multa fere obnoxia euadant. & si gratæ fructus figuræ, iucundi saporis, insignisque coloris lenocinio venustauimus, ne tam celeriter eorum depereat gloria, cœlique improbus variantis motus tabefaciat, & exanimet, sic constantes reddes cõtra tenorem algoris, æstusue: nec fies inglorius, si pro virib. ambientis aeris, & per cuncta meabilis ab iniuriis vindicabis, qui naturæ agnatione calidę, quod in pomo reperit, allicit, vt se miserum innata prius frigiditate lacessitum, quam naturalis abrepti

abrepti caloris exinanitum ſentiat, eoque flacceſſente, ſicceſſit. Plurimũ quoque ad hoc confert loci ſitus. Feneſtras ergo patentes Septentrioni dirige: claudendę enim ſunt, quæ ad Auſtrum vergunt: Auſtri enim afflatu rugis deturpantur non tamen ſine foriculis, ne pertinaci vento, cum humorem amiſerint, vieta fiant, vel putrilaginis labe putreſcant poma. Nunc etiam tradamus modum in floribus fructibuſque. Et primo ex Anatolio: & reliquis, vt

Roſæ & Lilia vegeta ſeruentur:

Legantur roſæ, reliquique flores, non iam ſatiui, cum iam pateſacti perennant: ſed flore iam dehiſcente, cæſuram in liquidam picem immerge, & arundine fiſſa condantur, rite picentur, & ſub die obruantur accliui loco, ne labẽs aqua pluuia noxam afferat.

Vel arundinem iam viridem findi-

ro, ro-

Digitized by Google

to, rosam vel florem intus condito, & fissuram vt coeat curabis, sic ouãs habebis, quod optas.

Lilia vt talia inueniantur, qualia condantur, id facito. Cum occlusa fileant, decerpas, prius quam dehiscentia se pandant & arundinibus vel lagunculis opertis, & bene picatis, ne expirent, recondantur: sic cum exegerit vsus, relaxato spiramento, detrahes, nam vegeta toto anno seruabis.

Aliter: vas fiat quernum, hoc floribus reple, & rosis quæ nondum oscitent, bene operculato, & picato, ne intro fortasse aqua permeet, putei, vel cisternæ aquis immergat, vel currentibus, quo minus putrefiant, ibique multum durabunt virides occlusi: cum omnes dehiscant velis, pediculum in malum figito, aut aceto immergito, Soli ostendendo. Nunc modum tradamus quomodo

Poma

Digitized by Google

Poma in vigore diu maneant.

Præcocia, pyra, mala, cotonea, ſed muſtea ſpernenda, ficus, tuberes, & zizipha cum ſuis frondibus legito omnia immatura, non tamen percruda, caduca ſunt ſeparanda, vndique diligenter inſpiciendo ſint ne integra, nec manibus quaſſentur, inciſos eorum tenaces calida cures amburi pice, parum tangendo, nam facilius principium putrefactionis exhiberent: inde canapi, ſtupaue inuoluendo, feruenti cera circumlinea & circumlita melle demergantur, vt ſint omnia ſubmerſa, & ſeparata cuſtodi, ne ſimul commiſceas, ne ſe mutuo contingant: alterum enim ab altero corrumpitur: operculo impoſito operaculatum que vas pellicolato, & per annum viridia ſemper habebis: & ſic omne pomum in melle ſeruari poteſt, quod in vetuſtatem reponitur. At virides ficus ſeruare

doce-

docet African. Ex viridibus cucurbitis è lateribus eximito partes, quæ splenis existunt similes, & excaua velut loculos,& vaginas, inde in singulis singulas ficus appones cum petiolis, vt durabilius integræ sint allatæ, quippe quę diutius durent integræ, inde obturato, & vmbroso suspendito loco, ne ignis, vel fumus inspiret.

Vel mala in vigore decerpta conditiua è Sotionis sententia, si gypso subacto illeueris, vel figulorum creta singula crustabis: vbi occalluerint, incolumia diu seruabis, cumque vti libet, dulci aqua perluito.

Vuas quoque sic immarcessibiles habebis: si singulis fictilia vascula penisilia appositeris occlusa, in imo vero pertusa, & impositio cespite pluuiam arcebis muniens, ne vel trunco mutuo rumpantur, vel alio munimine ambito.

Sic

Sic pinsito vitro si circumuoluantur & obruantur, lõgo tempore conseruantur. Multa quoque in picatis doleis musto immersis. Sic myrteas virgas cum baccis, & ficulneos ramos in amurca seruabis. At si vis

Poma in arbore diu immorare.

Ramulos intorqueri iube, ne maturescens humor in ipsa dilabatur, & ea incolumia seruabuntur contra æstiui caloris blandimenta, tali maxime pacto punica seruantur: ne hiantia dispereant. Aliter seruamus

Sorba & pyra

Paulo amœnius lecta, sed duriora non decidua, fictilibus vasis condito, & operculato, quæ picari pariter & gypsari facias, bipede effossa scrobe inuerso ore obruito, superinducta terra, spissius supra pedibus calcata, decliui loco, per quem perennis aqua decurrat. At

Vuas

Vuas & punica

Seruare si volueris: Sint vuæ duracinæ, & illæsas legi iube, ne sint acerbitate duræ, neque maturitate defluentes, tactu molli cum iucunditate calloso, & si qua sunt putrida, resecari debent: sic in feruentem aquam dimitte tempore exiguo, ne excoquantur, sed temperamento quodam opus est: dein sublata in vmbra suspendantur. Neq; hoc prætermittendo, quod aduertit Columella, vt seruari omnis possit vua: Decrescente luna post horam, cum insolata iam est nec roscida, viti detrahatur, & seruetur. Si vis

Vua in vite vt seruetur

Ex Beritii præcepto: Iuxta vitis radices vmbroso & accliui loco, vt facile pluuia aqua dilabatur, scrobem ad erecti hominis altitudinem effodito, arenam pauimento consternas, vt siccitate melius conseruet, supra

calamos

calamos & haſtilia defigas, & ſarmẽta luxans illæſis botryonibus aſſidue obtorqueto, & adnexantur dependeantque ex ridicis ne pauimentum tangant, & contignatione tegito, vt eo imber penetrare non poſſit, & reſeruatur vſq; ad ver perpetuum per annum clauſa. Rebus his finem imponendo, remanet

Arbores necare

Si volumus, ſic poſſumus: Corticem in orbem detrahamus, cortice enim ſpoliata interit omnis arbos, ſed tardius & celerius: vt tilia, & robur ocius, tardius autem infirmiores. Refert quoque quibus fiat anni temporibus Martio & Februario ſtatim emoriuntur, hyeme autem robuſtis arboribus diuturnior eſt interitus. At ſubero corticẽ detrahere oportet, ne deterior fiat. Sic paſtinacæ marinę radius omnium caudici præfixus occidit. Et menſtruatus pannus radici-

radicibus admotus, præsertim iuglādi nuci, vt placet Democrito. Platanus autem circumdolata, quæ in Antrando & Philippis euenerat, si reuixit, & cortex iterum circumtexit, fuit pro ostento habita. Aruspex enim tunc persuasit, vt sacrificarent custodirentque arborem vtpote fœtam ostendo fausto.

Nunc verba sci proprietatē quandā enarrare superest: Mane cum flores aperit, si planta leuiter cōcutitur, paulatim flores succescentes defluunt ad terram omnes, nec fuerit qui id inspiciet, quin magicis precaminib. euenire credat, si quis decusserit, inania quædam obmurmuret verba.

Ex omnibus quæ adhuc narrauimus coaceruatis, vnam nouimus arborem, sæpe loci gratia deliciarum horti arborē dictam: erat enim crassitudinis & proceritatis non ingratæ, apto vase obsita, præpingui, rigo, & super-

ſuperfœtante ſolo, vt tum plantæ vigore, tum humi vbertate, frugalitateq; inſitis alimentum ſuppeditaret. Erat trifurca, in vno vuam vinaceis vacuam, diſcolorem, & medicatam gerebat, quarũ altera ſoporem, altera alui deiectionem moliebatur. Affert ſecundus ramus perſicum, ex perſico & nuciperſico interuallis pluribus æque diſtinctum, exoſſem, & ramulo nunc perſicum, nunc nuciperſicum protuberans, ſi aliquod pomum nucleum habebat, dulcem vti amygdala dabat, & nunc hominum, nunc animalium faciem emẽtiebatur, diuerſaque demonſtrabat lineamenta. Dat alter ceraſia exoſſa, acida, dulciaque, dat mala aurea, cortex floribus, roſisque conſita fructus debitam omnem ſuperantes magnitudinẽ, dulciores, odoratiores, verno tempore efflorescentes, debitum vltra tempus fructus producentes:

diu-

diutius que immorabantur, cõtinuæ facunditatis orbem perpetuum annum miniſtrabãt, per quoſdam gradus poma ſibi ſuccedebant, fœtura interpolabatur, brachia ponderibus inclinata procumbebant, & denique ſic cælum tauebat, vt pulchriorẽ non conſpexerim. De huiuſmodi re iam ſatis: longius enim euagati ſumus, quam par fuerat, quorum aliqua ex maiorum monumẽtis excerpſimus, tempori regionique accommodantes, quæque multis erant experimentis cognita, multis præterea ingenioſi, & vtiliſſimis auximus.

Diuerſa ignaria parandi ratio.

FOrtuito euenisse narrat Vitruuius quod diuerſę arbores, crebroque ventis & tempeſtatibus exagitatæ attritu valido ramos terentes, colliſis inter ſe partibus & rarefactis calorem euocarint, vnde magna ſucceſſit flamma, efferati, & agreſtes homines

homines inde perterriti terga fugæ dedere, ſic iam ſopita flamma, propius cum acceſſiſſent,& magnam inde humanis corporibus perpendiſſent accedere commoditatẽ, ignem conſeruabant: ſic vrbanitatis, conſuetudinis, & ſermonis cauſas præbuiſſe, inde paſtorum in ſolitudinibus, & militum in caſtris explorauit neceſſitas, diuerſa quomodo parari ignaria poſſint, cum ſemper abſtruſum ignem ad excutiendum ſilicis occaſio non detur,& docuerunt quę nam ligna eſſẽt vſui accommodata: & quanquam terebrum & conceptaculum ex eodem fieri nonnunquã eueniat,tamen ex vno,quod agat, atque efficienti vim retineat, ex altero vero, quod patiatur, ex molli vno, forti altero faciendum cenſent. Exemplo.

Ligna,quæ attritu ignem concipiunt,
Sunt quæ maxime calida, vti laurus,

rus, rhamnus, ilex, & tilia. Meneſtor vero morum addit, & coniiciunt, quod aſcias ilico retundent, & hebetent, ex his omnib. terebrum faciũt, vt attritu acrius reſiſtat, & pertinacius opus expediat, concepraculum vero ex molli: vti hedera, ferula, ſylueſtri vite, & ſimilib. arefactis, & penitus humore omni exinanitis: ad ſummũ ea deteriora ad ignariũ vſũ veniunt, & reiiciuntur quæ vmbroſis contectisq; locis aſſurgunt. Et ſic commodius expedies, nec referre arbitror, ſi laurum lauro, vel hedera enudata, ferulam ferula confricaueris, & (quod præſtantius eſt) fune ſuper eam celeriter & vehementer moto, & vbi fumum eleuabit, adiecto minuti ſulphuris momento, fomitem admoueris prout arida nutrimenta, quæ ex materia parabis aridi fungi: foliorum excocti velleris, circa tuſſilaginis radices

reperti: ocyus enim ignem concipiunt, retinentque. Ex ignariis olea vt inepta reiicitur, pinguiori materia, & immodico humore referta. At cum hominum mens raro in eisdem repertis subsistat, sed nouis reperiendis altius viam inuestiget, eius industria repertus est

Lapis, ignem humido quouis excitans,

Huiusmodi faciūdi ratio hæc est: Magnetem lapidem in ollam, vel aliud consimile vas coniice, viua calce immersum, meliusq; fuerit si colophoniam adieceris cum calce pari: cum vas expleueris figulari creta circumlito spiramento, fornaci inditur, donec percoquatur: inde detrahatur, & in nouam ollam coniiciatur, creta denuo illita imponatur fornaci, alternis eadem prosequēdo, dum vehementer inalbuerit & torrefiat: cum opus fuerit, aqua vel saliua superinfusa flammam eleuabit, qua sopita

ſopita loco calido ad vſum recondito. Eſt quoque

Alia faciendi ratio:

Si viui ſulphuris, ſalnitri vocati repurgati pari pondere, caphuræ duplum, nouę calci addantur, ac omnia mortario conterantur vſque adeo tenuia, vt in aures euolare poſſint, ſimul ſtricte linteolo deligata conuoluantur, teſtaceo vaſe clauſa, ſuperillita argilla, feruenti deſiccentur fole, figulorum imponatur fornaci, cumque figilinum vas fuerit excoctum, in quo maxima eſt adhibenda diligentia, in lapidis duritiem coeunt, & rediguntur, extracta ad vſum miniſtrantur. Sic

Aliter idem

Hoc efficies: Sumatur magnetis lapidis prænarrata calx, ſalnitri ſæpe purgati quadruplum, æquali pondere caphura, viui ſulphuris ignem nondum experti, & terebinthinæ re-

sinæ oleum, & vini fæces concretæ, quas semper tartarum vocabimus posthac, hæc omnia mola vel pila trita cribrentur, quæ infracta supersunt, denuo terantur cribrenturque: insuper austeri vini ardentem aquam paratam habeas, eamque infundas, vt supereminеat, vitreo vase condito & operaculato, ne halitum expiret, fimo supponatur duobus vel tribus mensibus, denis vicissim diebus innouando, donec mellis crassamentum imitetur, nec vllum diuisionis iudicium præbeat, flagranti inde carboni inferuescat, dum humiditas omnis euolet, & penitus siccata in lapidem coeat. Si hoc cognoueris, vas frange, & exemptam iterum terito compositionem, aqua vel humore aliquo leniter superinfuso flammæ erigetur, & inter omnes principem hæc sibi vendicat locum.

Varia

Variæ igniũm compoſitiones.

Nec ſpernenda, vti non neceſſaria, nec viſu exiſtit iniucunda artificioſa ignium conpoſitio, nec multum à ſuperioribus degenerat, de qua nos aliqua narrabimus experimenta, quæ quanquam ab ignaris & idiotis tractentur, ſubtilitatis tamen plurimum habent, nec ea recenſere pigebit. Et primo

Ignis mixtura, quæ ſub aqua ardeat.

Quomodo autem fieri poſſit, late patebit, multifaria eſt enim earum compoſitio, eaque dicemus, quæ paratu facilia cum ſint, citius opus expediunt: Puluis primo paretur pyrius (vt dicunt) ad bellicas machinas, quibus ab ardendi bombo, nomen bombardum, eſt inditum: hic mixtiones horum ſubintrat omnes, vtpote baſis & fundamentum: cui adiiciatur tertia colophoniæ pars, communis oliuarum oleo quarta, ſe-

xta autem ſulphuris, rite permiſceã-tur, ex omnibus reſiccatis periculum ſumunt, ſi valẽtius vritur quam quæritur, colophoniæ, & ſulphuris, ſi remiſſius pulueris dicti pluſculum ſuggeratur, horum mixtura in ſtramentis, & lintei obuoluatur pannis, vel ex iis cõfectis, ſtrictius quam poſſit, inde funiculis & ligaminibus obuolutam feruenti immergũt pici & reſiccari curant, ac denuo ſtraminibus munientes, illinunt pice vt eam ab aquæ humiditate tueatur, nec ignis vi diſrumpi ſinat, vbi autem rite fuerint inſolata, paruo foramine peruia, ignem immittunt, & ardere incipiente, paulo morentur tempore, tum proiiciunt in aquam, nec ſe ab ea extingui ſinit, nunc fundum, nunc aquæ ſuperficiem petens, & in ea obuoluitur. Nec diſplicet, vt naphtam adiungant iis, quam petroleum vocãt: rapaciſſimus n. ignis eſt,

eoque

eoque longe viso dissilire cogit, vt magnes ferrum, & comburitur. Multumque bitumen hoc in aqua ardet, quod à natura artifices mutuati sũt, nec balneorum semper ebullientiũ alia reddi potest ratio, nisi quod bitumine intus ardeant, & aqua depascuntur, quæ continuæ sit causa ebullitionis. Bellica sæpe instrumenta huiusmodi compositionibus replentur, indè igneas quasdam emittunt pilas eminus, & disrumpuntur, quas sic parant: puluerem hu[illegible] obuoluunt stupa ac mixtura, quam diximus illinunt & implicant, & cõcauas machinas replent puluere, pilis, & mixtura vicissim inspersis igneque admoto in hostiũ congressibus pilæ per aera proiiciuntur accensæ. Quod olei vicem expleat, & ardentius exuratur, immittũt aliqui suillũ adipem, anserinum, sulphur ignem non expertum, sulphureum oleum,

& naphticum, salnitrum sæpe purgatum, ardentem aquam, terebinthinam resinam, liquidam picem, quam omnes Kirram vocant, vulgo dictam liquidam vernicem, vitellorum ouorum oleum, & aliquando vt molem his addat, & liquida inspisset omnia lauri scobem immiscent: ijs vitreo vase occlusis, illud sub fimo condito, per menses duos vel tres, alternis semper denis diebus innouando fimum, & remis-[illegible]do, exemptæ inde compositioni, si ignem adieceris ardere non desinit, nisi tota fuerit absūpta, aquæ n. aspersione nō restinguitur, imo accenditur: veruntamē luto, terra puluere, & omnino quibusuis aridis suffocatur, si cassidi, clypeo & armatis hominib. inieceris igne candētes reddit, vt cōburi cogantur, aut arma exuere.

Aliud trademus, quod valentioris est operationis, terebinthinæ resinæ

resinæ, picis liquidæ, & vernicis, inde picis, thuris, & caphurę pares portiones, viui sulphuris sesquitertium, salnitri purgati duplum, ardentis vero aquæ triplum & tantundem napthici olei, sed salicis pollinis carbonum pusillum adiicias, hæc simul cõficiãtur & in globulos effingito, vel ollulas reple: sic exurit, vt extinguere sit vanum. Alia inter has reperitur *Ignea mixtura, quam sol accendere potest.*

Maxime autem feruens in meridie, & in præcipue illis regionibus vbi sol flagrat, vel sub caniculæ ortũ, nec aliunde euenit, nisi accendibilium rerum compositione, hanc tamen sedulo parabis qualis est, quæ ex his constat: Caphura paretur, inde viuis sulphuris terebinthinę, præsinę iuniperi, & vitellorũ ouorũ, oleum, pix liquida, colophonia in puluerem redacta, salnitrum, & omnium duplum ardentis aquæ arsenici, &

tartari pusillum, hæc omnia bene tusa, & remixta, vitreo condas vase: quod per duos menses obturum immorari oportet, simum semper innouando, & remiscendo eodemque (vt docebimus) eliciatur aqua vase, hæc inspissetur, vel nostro puluere, vel stercore colũbaceo, & tenuiter cribrato, vt strigmenti formã habeat, ligna delinito, vel aliqua combustibilia, & æstiuis Sole vtitur diebus. Hæc omnia Marco Graccho asseruntur. Vim retinet comburẽdi maximam columbaceũ stercus. Refert Galenus in Mysia, quæ est Asiæ pars, sic domũ conflagrasse. Erat proiectũ columbaceum, in propinquo fenestram tangebat, vt iam cõtingeret eius ligna, quæ nuper illita resina fuerant, cui iam putri, & excalefacto, & vaporem edenti, mediæstate cum Sol plurimus incidisset, accẽdit resinam, & fenestram, hinc fores aliæ re-

sina

fina quoque illitæ, ignem cõcipere, & ad tectum vsque submittere incipiunt: vbi autem à tecto semel est accẽsa flamma, celeriter in totam grassata est domum cum maximam habeat inflammandi vim. Præterea

Ignẽ q. oleo extinguitur, & accẽditur aqua,

Fieri si opus sit, ea sũt cõsideranda, quæ facilius in aqua ardent, vel in ea sponte accenduntur, vti caphura, & viua calx, vnde si cera, naptha, & sulphure mixtũ composueris, ignemq; concipiens, vbi oleũ iecieris, vel cœnũ extinguitur: reuiuiscit enim, & maiore concipit ignem infusa aqua. Hac fiunt cõpositione faces, quæ fluminum traiectu, & pluuiosis locis non extinguũtur. Narrat Liuius, vetulas quasdã in eorũ ludis, accensis facibus, ex his confectis, Tyberim tranasse, vt miraculum expectantibus, & cernentibus ostentarent. Hinc pro itineribus fiunt

Faces, quæ ventis non extinguantur.

Quod è sulphure euenit: difficulter enim extinguitur, vbi flammam concipit: vnde faces cera, & sulphure vicissim oblinitis, & confectis, ventis & tempestatibus innoxie feruntur.

Pro ducendis autem exercitibus, vel necessariis rebus aliis, vtuntur tali: Earum ellychinum salnitro ebulliunt, & aqua, & exiccatum sulphure, & ardenti madefaciunt aqua, inde candelas hac efficiunt mixtura: constat enim sulphure, inde caphuræ, & terebinthinæ resinæ medietate colophoniæ duplo, ceræ autem triplo: quatuor efficiunt candelas, eas componunt simul, in medio autem viuum sulphur inijciunt, & pertinacius omnib. resistit. Si candelam aliquam niue circumtexeris, vt pueri solent, & incẽdas, in niua flãma ardere videbitur. Sed vt facile accẽdatur,

Aqua

Aqua ardens

Effici sic rite poterit: Vetus validum,& nigrum vinum habeas, inde intus viuam immitte calcem, tartarum, sal viuumque sulphur, vitreis chymistarũ organis (vt docebimus) aquam exugito, hæc mire ardet, nec ardere desierit,nisi tota consumetur, vel parum relinquat: si in patinam, vel aliud patentioris oris vas pones, & flammam admoueas,illico ignem arripit, si in murum proieceris, vel è fenestra noctu, innumeris scintillis, & igniculis accensum aerem videbis, id autem hic aduertito, si pluries distillabis minus ardere, id enim aceto contrarium aqua habet ardens. Si minus plegmate redundet vis, spongiam oleo madidam vasis ori in distillatione accommodato, phlegma autem penetrare non sinit.Si

Flammam eminus proijcere

Quæ ſieris, id commode faciunt colophonia, thus, & ſuccinum præcipue, nam ſi flammam concipit, in altum ſe tollit, eminus flammam emittens, ſi inter digitos candelam continebis: in palma autem pinſitum puluerem dumque proijcis euolet puluis per candelæ flammam. ſi optabis ab

Igne tueri aliquid, ne comburatur:

Ea conſiderato, quæ ſumme frigida, obſtupent, & ſubtilia ſunt, & ob ſubſtantiæ connexionem ab igne non vincuntur, vti amiantus lapis, quem plumeum alumen vocant, extincta calx, oui albumen, althææ ſuccus, hyoſcyamus, pſylli ſemen: hæc cum ſuccis permiſcentur, dum linimenti ſpeciem aſſequantur, inde manus oblinito & illeſus ignem detinebis: non ſic tamen, vt omnino tutus, & intrepidus pertractare poſſis, vel

per

per ignem ambulare. Ex amianto lapide mappæ texuntur, & si sordidatę igni proiiciuntur, candoti pristino restituuntur. Inde autem si vis

Ignitus totus videri:

Prædicta vbi te liniueris mixtura, reficcati curato, & tritum subtilissime sulphur inspergito, flammam admoueas, vbi ardere incipiet, ignitus videberis totus. Si minus commodum fuerit sulphur, ardentis aquæ irroratus aspergine, quam diximus ignem admoue, & aliquantulum sub ea turus deges. Fitque

Puluis pyrius in bellicis instrumentis mira operans.

Si quis in vulgarem puluerē duodecimam argenti viui partem, marchesitæ tantundem, & colophoniæ & recte pertuderit, & permiscuerit, hoc puluere si bellica repleuerit instrumenta, vbi ignem admouerit, ingenti

ingenti fragore dissilit machina, vt astantium multos interimat. Contra autem si in pyrium hunc puluerem combusta papyrus immisceatur, vel quod idem explebit, vulgaris fœni seminis duplum, si optime trita immisceantur, validissimam vim retorquet, vt nec flammam, nec strepitum tam validum emittat: tali puluere mira ingeniosus excogitabat experimenta.

Qui fieri possit latex in tenebris refulgens.

Tu qui præauidus ad lectionem rerum accedis, quas larga, eademque prodiga Natura humano vsui liberaliter fœneratur, abditas, & delitescentes, eumque curat tenebris innoxium reddere, quod non est profecto aspernabile, ex iis ingeniose require, quæ præstare possunt, plera que etenim habes, quæ in noctibus sensum feriunt, & cient, multa Aristoteles, multaque passim experientia

rientia demonstrat: Ceu bestiolæ, ex insectorum genere, quas Græci πυγολαμπίδας, Latini nitedulas, siue cicindelas vocant. Sunt fungi, capita, & squamæ piscium, vti recentis trichiæ, & vulgo harengi dicti. Sic miluus, siue miluago, quod oculi noctu splendeant lucerna dicitur. Pectinum vngues in tenebris igne lucentes, & in ore mandentium. Sic luporum, & ælurorum oculi. Estque in Germaniæ saltu in Hercinia apparens volucris, eius lucent pennæ ignium modo, earumque splendore viatores, per innumeras illas solitudines itinerum dubios moderantur euentus. Sic de spondylis, plerisque ostracodermorum generibus, vel super eos insidente musco. Aglaophotidis marinæ, & terrestris meminit Aelianus, tale nomen à splendore lucis inditum, aliaq; matris alumna animalia. Sæpe manibus marinam aquã exagi-

exagitatam, igneis scintillis coruscantem vidimus. Narrat Iosephus vallem, in qua est locus Baraas, ex eodem radicis nomine dictus, igneo colore fulgurans. Sic nictegretum, cuius valde miratus est Democritus. Iam quercus præaridi caudices, situque marcidi, argēteo noctu splendore aspectum mouent, & vulnerant. Carbunculus in tenebris rutilat, aerem circumsecus pro corporis modo illuminando: & multa sunt quoque noctu lucibilia, grauissimorum authorum testimonio comprobata. At series admonet doceamus inde humorem extrahere, ex quo latius diffusiusq; proficiscatur lumen, & emanet, vt noctu videri possit. Iam infra patescit

Exemplum.

Nitedulæ igneo multum colore coruscantes, inter omnia principatum obtinent. Nos earum caudam à

corpore

corpore reſcindimus, præcauendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immiſceatur, porphyretico lapide conterendo, diebus quindecim, vel pluſculis ſub fimo vitro condimus: fueritq; præſtantius ne latera contingant, ſed pendeant: iam elapſis diebus, furno, vel calentis aquæ balneo vaſe impoſito, & accommodato, paulatim luculentum, & ſtillatitium laticem ſubiecta paropſide recipias, ac pellucido cryſtallino orbe condito, ſic cōclauis medio lucigena pendeat aqua, & aerem illuminabit, qui eſt circa illam, vt maiuſculæ literæ noctu poſſint conſpectari: dummodo à nō magis ſplendido illuſtretur, ſic enim illius penitus exiguum lumen exoleſcit, vt interdiu videri nequeat. Cui congener, nec multū diſſimilis eſt aqua, ex dictorum piſcium ſquamis ſedulo extracta, quam ſæpe ſeparari vidimus, nec à prima fere digno-

fere dignoſcitur, eademque in reliquis patandi ratio iam patet, eisque vtimur in dicendis.

Multa literarum experimenta, variaque ſcribendi latebra.

De clandeſtinis literarum notis, quas vulgus zipheras vocat, duplicem ſtatuunt normam, viſibilium vnam, & per ſe dignum tractatu ſtudium habet, deliteſcentium vero alteram: iam poſcente hic loco, aliqua commentari cenſuimus, & quæ hæc conſequuntur, Magnatum & principum rebus conſulentes, dum abſentia curant, & commenti illius gnaro conſcribunt. Nos paucula oculis ſubiiciemus exempla, non ea tantum recēſendo, quam quæ inde ſunt euentura, & ij noſcent, qui nonnihil addentes, coniungentes. vndiq; artificio contexta, & velata detegunt, ne in manus indocti, & gregarij peruenientia vileſcant: tunc enim cha-

chariora, cum arcana, & fido clauſa pectore diutius commorantur. Sed quæ iam ſæpius peruulgata in medium afferenda duxerim, ad rem redeuntes, dicamus, quonam fiant pacto

Literæ in tenebris conſpicuæ,

Si quis furtiuo ſcripto rei conſcio nouo aſtu excogitata quæpiam nuntiare quælierit, quæ tantum nocte intempeſta conſpici queant: prænarrato iam liquore graphice deſcribendo pagina ſaturetur, maxima adhibita ſedulitate, & ineffigiata interdiu apparebit. Si hoc minus forraſſe tutum, magisque fuerit cordi

Literas lumine interpoſitas legere,

Hæc eſt ſcribendi inopinabilis latebra, nec vti cæteræ leuiter igni detegitur: Si colore corporeo albo ſcripſeritaueris, vti ceruſſa liquido immixta gummi, vel conſimili, ſit chartæ concolor, neue aliquid ſit diſcerniculi.

Digitized by Google

niculi, vel coniectari possit, tunc oculo, & lumini interiecta, sideris vel candelæ, vbi descriptæ fuerint literæ, ocularibus radiis penetrari non sinunt, sic obscuriusculæ cõspiciuntur. Vel si velimus, vt

Literæ in nigro extemplo candicent,

Est, & occultius mentis conceptum proferendi ratio: Luteum, ouique albumen valide exagitatum, instar scriptorii atramenti liquescat, huiusmodi literas, vel lineamenta protrahe, iam exiccatis, colore atro papyrus superlinatur, & inquinetur: vbi vero literæ iam obrutæ liquescant velis, lato ferro, vel cultro leuiter eas erodendo, tenebricosum dilacerantes velum vti nebulas discutientes supra modum candore panduntur insigni. Sicque si

Literæ delitescentes conspiciantur & conspicuæ delitescant.

Optabis: potieris, si stillatitio calcanthi

canthi liquore vel ardenti aqua affusa donec solutum fatiscat: ac papyro literas duxeris: iam enim siccescentibus cælantur: porro combustam paleam ex aceto triturabis, & quæ sumus scripturi, in priorum interstitio versuum late describito. Omphacitis inde galla albo vino decoquatur, spongiam madida, cum cordi euenerit, leuiter expergificãdo, & super eas inducta atterendo, vernaculus nobis color ater obliteratus delitescit, pristinus vero inuisibilis refricatus nobis fiet conspicuus. At

Literæ intercutaneæ, & indelebiles in membro quouis

Appareant si velis: sic cito expedies: Cantharides naturalis diei curriculo valida aqua, vel tritius auri separationis madeant, inde graphio, vel apto stylo, summa cute brachii vel alterius membri characteres effigiabis, læsa humore caro inflatas surgit

surgit in vesiculas, exulceratur, sic acris vestigia aquæ vi, albas cicatrices perpetuo emarginat æuo, & nunquã euanescentibus literis membrum insignitur. Vel

Literas confestim loco quouis emergentes

Nigras & coloratas efficies: si aceto, vel vrina, clanculum in manibus vel alibi literas exarabis cum exiccatæ fuerint: nec vestigia apparent & vis eluceſcant, fuligine, vel colore, quem vbertim infectoriæ dant officinæ extricato, & nigricabunt valde, si easdem albas quæsieris charta, si culneo lacte declineato, exiccatas carbonis polline insparso confricato, & detergito, At reddere

Literas igne, vel aqua visibiles

Sic possumus, & literas in carminum intercapedinibus, & syllabarum coagmentis, & distantiis protrahere: Contineat epistola inane quippiam, vt incõdite puter positas, & in-

& intercepte, aut nihil omnino, aut ægerrime ſentient. Si citrij, medici mali, cæpæ, & omnium fere acrium ſucco deſcripſeris, ſi igni inferueſcit, eorum acrimonia deteguntur illico. Maius aliquantulum ſubtilitatis habet, ſi alumine aqua diſſoluto, ſcripſeris, cumq; lectioni accedis, aquæ immergendo, late euadent viſibiles & elegantes. Si vero candicent velis, & lacteas ſic facies: Lithargyris primo teritur & fictile aquam continens, cum aceto coniicitur, decoquitur, & decoctum per colum traiicito, ſerua, inde limonis ſucco citrigeri generis literas exarato: iam enim ſicceſcentibus abduntur, ſi ſeruato liquore immerſeris, lacteas & conſpicuas videbis: Si mulierum vbera, vel manus ea madeant, prædicto inſperſo liquore lacte reſudabunt: vtitor, ſi inops aliquando eorum fueris. Si quoque literæ hirci adipe lapidi fue-

rint inſcriptæ, lapidiq; occultæ prorſus, ſi lapis idem aceto demergatur prodeunt ilico, & quaſi ſculptæ foras eminentes extabunt. Si autem abſoluta aqua perſcribendo, literas nigreſcere iubes, vt nauius expeditiusque itineribus accingamur: Gallas & calcanthum ſubtiliter pinſito, inde puluerem chartæ inſpergito, panno perfricato, rectęq; expoliantur, & vt ſit chartæ concolor, & pertinacius inhæreat, contuſo iuniperi gummi, quod ſcriptoribus vernigo dicitur, addatur reliquis, cum vſu euenerit, aqua vel ſaliua ſcribito, & nigreſcunt: ijsq; ſimillime eueniunt technæ quas perlongum eſſet recenſere. At

Literas ouo inprimere

Africano ſic placuit: Alumen ex aceto ſubtiliter multumq; terito, & cortici quicquid velis, affigurabis, feruenti ſoli exiccato, muriæ vel acri

cri aceto impone tribus vel quatuor diebus, reſiccatum coquito, cumque fuerit toſtum cortice enudabis, & duro albumini ſcriptas literas reperies. Inde occurrit alterum: Cera circumlinito ouo, ſtylo literas exarando: fatiſcentes rimas humore reple, ac aceto macerari finito per diem, cum ceram ſuſtuleris decorticato, & peruium corticem, & ouo impreſſas leges literarum figuras. Nunc lege quæ improbo excogitatu neceſſitas exploratuit, vt

Literæ conſtitutis diebus deciduæ ſint, & euaneſcant,

Quantum humanum ingenium, dum naturæ ſecreta pandit? Demerſetur tenuis elimatus chalybs in ſeparationis aquam, pondere iam triplicato, quibus liquidæ picis, vel terebinthinæ reſinæ fuligo addatur, vt nigrior fiat, & dolum cooperies: porphyritæ multum teratur, ſcribe, &

Conſeneſcentes, decident. Hoc ſilentio prætereundum non putaui, quod maxime præcipuum & tanquã rei caput eſt, periculum frequenter facere: nam ſi diutius in charta commoratur, fortis aquæ pluſculum ſuggeratur, & ſi fueris ſedulus, ſubcrocea non remanebunt veſtigia: hac indicii norma frui poteris.

Sic aliud conſimile genus habebis, ſi ſic mentiri ſatius fuerit: Chryſocolla, ammoniacus ſal, & alumen æquali pondere certent inter ſe, tuſa omnia fictili condantur, & forte ex calce parato lixiuium, & faucibus excepturi vaſis lineo panno obtento, colato: ſic igitur parum ebulliat, atramento immiſce, & vbi incolumes aliquantulum durabunt, iam flaccescente fiunt caducæ, ad vſum recondito. Sed literas, maculas, vel

Literas penitus abſtergere

Si quæſieris: Calcanthi & ſalnitri aqua

aqua calamo ſupra literas delineato.

Vel è ſale achali & ſulphure, paruis conglobatis orbiculis perfrica, ſic erodet, vt nec veſtigiũ remaneat. Literas vero diſco Lunæ obſeſſis nunciare, iam certiores facti conſcribemus, Hæc enim raptim perſcripſimus.

De conuiuiis & epulis mire apparatis.

Hæc ſilentio prætereunda cogitaueram, ganeonibus & bibacibus, coquis & popinariis relinquenda, vt à re ipſa plurimum aliena, & inconuenientia, & defæcatioribus auribus non mittenda. Sed omnibus ſatis faciendi gratia appoſuimus, aliquibus hæc reliquis gratiora, & ijs ſimilia fuerint, nec gulæ & genio indulſiſſe vnquam pœniteat: ſic ſummatim perſcribẽtes, ne longiori narratione legentium animos detineamus, ad ea noſter ſe conuertat ſermo, vt conuiũia frugalesque cœnæ lau-

tiores apparatu videantur. Et primo *Vini hauſtu nimio ne inebrietur accumbẽs.*

Vel ſi cibo largius ſumpto corpori noxam ſentiet, ſic diſcutiet, vt Cato docet. Initio, ac cœnæ ſummo crudæ braſſicæ quatuor vel quinque cymata eſto, & crapulam ſedat, vini noxam reſtinguit, & reddet quaſi nil ederis, biberisque, adeo inter ſe perniciali diſſident odio, vt ſatæ alteram altera diſcordante natura fugiat. Inde Androcydes ſapientia clarus contra temulentiam valere iudicauit, & contra eam mandi præcepit. Nec omittam, quæ Neſtor in Alexicepo ſuo dixerit: Braſſicam enim Lycurgi lachrymam vocat: inquiens: Cum Bacchus eum reueritus mare ſubiiſſet, Lycurgum vite vinctum lachrymam emiſiſſe, & è lachryma natam eſſe dicit, & ob id contrarietatem inter vinum & Braſſicam eſſe. Idq; euenire tradit Ariſtoteles quod

ſuccum

ſuccum dulcem diſcutientemq; tineat. Vnde Plutarchus in ſimpoſiacis dulcia ait, ſi vino infundantur ebrietatem diſcutere. Euenit aliquando à capitis diſtillatione columellam in guttur laxari, tunc crudę braſſicæ ſuccus capiti impoſitus, vuam retrahit in ſublimen oris partem. Ineſt & crambæ vino obſiſtendi vis: nam ſi vineto obſeritur, dilutius proueniet vinum: inde apud Aegyptios & Sybaritas ſolenne erat ante omnia crambem ſumere coctam. Aliqui id amethyſtino vaſculo facere conſueuere ante compotationem, quo impune vino indulgere poſſint, ex Athenæo.

At ſi aliter vini noxam inhibere voles, maxime dilutiuſculi, nam citius crapulam ſenſerint, quam qui meratius hauſerint. Si multum poturus eris Africanus docet iu cibatu præmittas tres vel quatuor amaras amy-

Digitized by Google

exagitatam, igneis scintillis coruscantem vidimus. Narrat Iosephus vallem, in qua est locus Baraas, ex eodem radicis nomine dictus, igneo colore fulgurans. Sic nictegretum, cuius valde miratus est Democritus. Iam quercus præaridi caudices, situque marcidi, argēteo noctu splendore aspectum mouent, & vulnerant. Carbunculus in tenebris rutilat, aerem circumsecus pro corporis modo illuminando: & multa sunt quoque noctu lucibilia, grauissimorum authorum testimonio comprobata. At series admonet doceamus inde humorem extrahere, ex quo latius diffusiusq; proficiscatur lumen, & emanet, vt noctu videri possit. Iam infra patescit

Exemplum.

Nitedulæ igneo multum colore coruscantes, inter omnia principatum obtinent. Nos earum caudam à corpore

corpore rescindimus, præcauendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immisceatur, porphyretico lapide conterendo, diebus quindecim, vel plusculis sub fimo vitro condimus: fueritq; præstantius ne latera contingant, sed pendeant: iam elapsis diebus, furno, vel calentis aquæ balneo vase impositio, & accommodato, paulatim luculentum, & stillatitium laticem subiecta patopside recipias, ac pellucido crystallino orbe condito, sic cōclauis medio lucigena pendeat aqua, & aerem illuminabit, qui est circa illam, vt maiusculæ literæ noctu possint conspectari: dummodo à nō magis splendido illustretur, sic enim illius penitus exiguum lumen exolescit, vt interdiu videri nequeat. Cui congener, nec multū dissimilis est aqua, ex dictorum piscium squamis sedulo extracta, quam sæpe separari vidimus, nec à prima fere digno-

fere dignoscitur, eademque in reliquis parandi ratio iam patet, eisque vtimur in dicendis.

Multa literarum experimenta, variaque scribendi latebra.

De clandestinis literarum notis, quas vulgus zipheras vocat, duplicem statuunt normam, visibilium vnam, & per se dignum tractatu studium habet, delitescentium vero alteram: iam poscente hic loco, aliqua commentari censuimus, & quæ hæc consequuntur, Magnatum & principum rebus consulentes, dum absentia curant, & commenti illius gnaro conscribunt. Nos paucula oculis subiiciemus exempla, non ea tantum recēsendo, quam quæ inde sunt euentura, & ij noscent, qui nonnihil addentes, coniungentes. vndiq; artificio contexta, & velata detegunt, ne in manus indocti, & gregarij peruenientia vilescant: tunc enim cha-

chartiora, cum arcana, & fido clausa pectore diutius commorantur. Sed quæ iam sæpius peruulgata in medium afferenda duxerim, ad rem redeuntes, dicamus, quonam fiant pacto

Literæ in tenebris conspicuæ,

Si quis furtiuo scripto rei conscio nouo astu excogitata quæpiam nuntiare quæsierit, quæ tantum nocte intempesta conspici queant: prænarrato iam liquore graphice describendo pagina saturetur, maxima adhibita sedulitate, & ineffigiata interdiu apparebit. Si hoc minus forrasse tutum, magisque fuerit cordi

Literas lumine interpositas legere,

Hæc est scribendi inopinabilis latebra, nec vti cæteræ leuiter igni detegitur: Si colore corporeo albo scriptitaueris, vti cerussa liquido immixta gummi, vel consimili, sit chartæ concolor, neue aliquid sit discerniculi.

niculi, vel coniectari possit, tunc oculo, & lumini interiecta, sideris vel candelæ, vbi descriptæ fuerint literæ, ocularibus radiis penetrari non sinunt, sic obscuriusculæ cõspiciuntur. Vel si velimus, vt

Literæ in nigro extemplo candicent,

Est, & occultius mentis conceptum proferendi ratio: Luteum, ouique albumen valide exagitatum, instar scriptorii atramenti liquescat, huiusmodi literas, vel lineamenta protrahe, iam exiccatis, colore atro papyrus superlinatur, & inquinetur: vbi vero literæ iam obrutæ liquescant velis, lato ferro, vel cultro leuiter eas erodendo, tenebricosum dilacerantes velum vti nebulas discutientes supra modum candore panduntur insigni. Sicque si

Literæ delitescentes conspiciantur & conspicuæ delitescant.

Optabis: potieris, si stillatitio calcanthi

canthi liquore vel ardenti aqua affusa donec solutum fatiscat: ac papyro literas duxeris: iam enim ficcescentibus cælantur: porro combustam paleam ex aceto triturabis, & quæ sumus scripturi, in priorum interstitio versuum late describito. Omphacitis inde galla albo vino decoquatur, spongiam madida, cum cordi euenerit, leuiter expergificādo, & super eas inducta atterendo, vernaculus nobis color ater obliteratus delitescit, pristinus vero inuisibilis refricatus nobis fiet conspicuus. At

Literæ intercutaneæ, & indelebiles in membro quouis

Appareant si velis: sic cito expedies: Cantharides naturalis diei curriculo valida aqua, vel tritius auri separationis madeant, inde graphio, vel apto stylo, summa cute brachii vel alterius membri characteres effigiabis, læsa humore caro inflatas surgit

surgit in vesiculas, exulceratur, sicacris vestigia aquæ vi, albas cicatrices perpetuo emarginat æuo, & nunquã euanescentibus literis membrum insignitur. Vel

Literas confestim loco quouis emergentes.

Nigras & coloratas efficies: si aceto, vel vrina, clanculum in manibus vel alibi literas exarabis cum exiccatæ fuerint: nec vestigia apparent & vis eluceſcant, fuligine, vel colore, quem vbertim infectoriæ dant officinæ extricato, & nigricabunt valde, si eaſdem albas quæſieris charta, ficulneo lacte declineato, exiccatas carbonis polline inſparſo confricato, & detergito, At reddere

Literas igne, vel aqua viſibiles

Sic poſſumus, & literas in carminum intercapedinibus, & ſyllabarum coagmentis, & diſtantiis protrahere: Contineat epiſtola inane quippiam, vt incõdite putet poſitas, & in-

& intercepte, aut nihil omnino, aut ægerrime sentient. Si citrij, medici mali, cæpæ, & omnium fere acrium succo descripseris, si igni inferuescit, eorum acrimonia deteguntur illico. Maius aliquantulum subtilitatis habet, si alumine aqua dissoluto, scripseris, cumq; lectioni accedis, aquæ immergendo, late euadent visibiles & elegantes. Si vero candicent velis, & lacteas sic facies: Lithargyris primo teritur & fictile aquam continens, cum aceto coniicitur, decoquitur, & decoctum per colum traiicito, serua, inde limonis succo citrigeri generis literas exarato: iam enim siccescentibus abduntur, si seruato liquore immerseris, lacteas & conspicuas videbis: Si mulierum vbera, vel manus ea madeant, prædicto insperso liquore lacte resudabunt: vtitor, si inops aliquando eorum fueris. Si quoque literæ hirci adipe lapidi fue-

Digitized by Google

rint inſcriptæ, lapidiq; occultæ prorſus, ſi lapis idem aceto demergatur prodeunt ilico, & quaſi ſculptæ foras eminentes extabunt. Si autem abſoluta aqua perſcribendo, literas nigreſcere iubes, vt nauius expeditiusque itineribus accingamur: Gallas & calcanthum ſubtiliter pinſito, inde puluerem chartæ inſpergito, panno perfricato, rectęq; expoliantur, & vt ſit chartæ concolor, & pertinacius inhæreat, contuſo iuniperi gummi, quod ſcriptoribus vernigo dicitur, addatur reliquis, cum vſu euenerit, aqua vel ſaliua ſcribito, & nigreſcunt: ijsq; ſimillime eueniunt technæ quas perlongum eſſet recenſere. At

Literas ouo inprimere

Africano ſic placuit: Alumen ex aceto ſubtiliter multumq; terito, & cortici quicquid velis, affigurabis, feruenti ſoli exiccato, muriæ vel aceri

cri aceto impone tribus vel quatuor diebus, reſiccatum coquito, cumque fuerit toſtum cortice enudabis, & duro albumini ſcriptas literas reperies. Inde occurrit alterum: Cera circumlinito ouo, ſtylo literas exarando: fatiſcentes rimas humore reple, ac aceto macerari finito per diem, cum ceram ſuſtuleris decorticato, & peruium corticem, & ouo impreſſas leges literarum figuras. Nunc lege quæ improbo excogitatu neceſſitas exploratuit, vt

Literæ conſtitutis diebus deciduæ ſint, & euaneſcant,

Quantum humanum ingenium, dum naturæ ſecreta pandit? Demerſetur tenuis elimatus chalybs in ſeparationis aquam, pondere iam triplicato, quibus liquidæ picis, vel terebinthinæ reſinæ fuligo addatur, vt nigrior fiat, & dolum cooperies: porphyritæ multum teratur, ſcribe, &

Conſeneſcentes, decident. Hoc ſilentio prætereundum non putaui, quod maxime præcipuum & tanquã rei caput eſt, periculum frequenter facere: nam ſi diutius in charta commoratur, fortis aquæ pluſculum ſuggeratur, & ſi fueris ſedulus, ſubcrocea non remanebunt veſtigia: hac indicii norma frui poteris.

Sic aliud conſimile genus habebis, ſi ſic mentiri ſatius fuerit: Chryſocolla, ammoniacus ſal, & alumen æquali pondere certent inter ſe, tuſa omnia fictili condantur, & forte ex calce parato lixiuium, & faucibus excepturi vaſis lineo panno obtento, colato: ſic igitur parum ebulliat, atramento immiſce, & vbi incolumes aliquantulum durabunt, iam flaccescente fiunt caducæ, ad vſum recondito. Sed literas, maculas, vel

Literas penitus abſtergere

Si quæſieris: Calcanthi & ſalnitri aqua

aqua calamo supra literas delineato.

Vel è sale achali & sulphure, paruis conglobatis orbiculis perfrica, sic erodet, vt nec vestigiũ remaneat. Literas vero disco Lunæ obsessis nunciare, iam certiores facti conscribemus, Hæc enim raptim perscripsimus.

De conuiuiis & epulis mire apparatis.

Hæc silentio prætereunda cogitaueram, ganeonibus & bibacibus, coquis & popinariis relinquenda, vt à re ipsa plurimum aliena, & inconuenientia, & defæcatioribus auribus non mittenda. Sed omnibus satis faciendi gratia apposuimus, aliquibus hæc reliquis gratiora, & ijs similia fuerint, nec gulæ & genio indulsisse vnquam pœniteat: sic summatim perscribẽtes, ne longiori narratione legentium animos detineamus, ad ea noster se conuertat sermo, vt conuiuia frugalesque cœnæ lau-

tiores apparatu videantur. Et primo *Vini hauſtu nimio ne inebrietur accumbẽs.*

Vel ſi cibo largius ſumpto corpori noxam ſentiet, ſic diſcutiet, vt Cato docet. Initio, ac cœnæ ſummo crudæ braſſicæ quatuor vel quinque cymata eſto, & crapulam ſedat, vini noxam reſtinguit, & reddet quaſi nil ederis, biberisque, adeo inter ſe perniciali diſſident odio, vt ſatæ alteram altera diſcordante natura fugiat. Inde Androcydes ſapientia clarus contra temulentiam valere iudicauit, & contra eam mandi præcepit. Nec omittam, quæ Neſtor in Alexicepo ſuo dixerit: Braſſicam enim Lycurgi lachrymam vocat: inquiens: Cum Bacchus eum reueritus mare ſubiiſſet, Lycurgum vite vinctum lachrymam emiſiſſe, & è lachryma natam eſſe dicit, & ob id contrarietatem inter vinum & Braſſicam eſſe. Idq; euenire tradit Ariſtoteles quod

ſuccum

ſuccum dulcem diſcutientemq; obtineat. Vnde Plutarchus in ſimpoſiacis dulcia ait, ſi vino infundantur ebrietatem diſcutere. Euenit aliquando à capitis diſtillatione columellam in guttur laxari, tunc crudę braſſicæ ſuccus capiti impoſitus, vuam retrahit in ſublimen oris partem. Ineſt & crambæ vino obſiſtendi vis: nam ſi vineto obſeritur, dilutius proueniet vinum: inde apud Aegyptios & Sybaritas ſolenne erat ante omnia crambem ſumere coctam. Aliqui id amethyſtino vaſculo facere conſueuere ante compotationem, quo impune vino indulgere poſſint, ex Athenæo.

At ſi aliter vini noxam inhibere voles, maxime dilutiuſculi, nam citius crapulam ſenſerint, quam qui meratius hauſerint. Si multum poturus eris Africanus docet iu cibatu præmittas tres vel quatuor amaras amy-

gdalas exiccantes,&humiditates absumentes,vinolentiam propulsabũt. Narrat Plutarchus Cheronæus apud Drusum Tyberij Cæsaris filium medicum fuisse, qui cum bina fenaue amara amygdala esitaret, in commestura bibendo superabat omnes, qui iam deprehensus, ijsque deinde priuatus decertare amplius nec pauxillum valuit. Nec incassum pumicis farina, si potor in bibendi certamine præsumat eam. Affert Theophrastus periclitari, nisi vniuerso potu implearur. Sic Lucullum in vigesimas secundas vices durasse, demum balneum ingressum nil reiecisse, ac ita cœnitasse vti si non bibisset, via absumente siccifica, & in cadum musti bullientem conjecta, statim in totum vini feruor sedatur.

Ad auerruncandum quoque meri exitium antiquitus in compotationibus corollis sorcis redimita capita ferebant. Vnde

Vnde Ouidius:

Ebrius in cinctis phylira conuiua capillis
Solet & imprudens vtitur arte meri.

Et Valerius Martialis:

Pingueſcat nimio madidus mihi Cænus amomo
Laſſenturque roſis tempora ſutilibus.

Rationemque dicunt, quod nimia frigiditate cranium frigeſcat, vt vinolentiam, & eius vim extinguat. Vnde Dionyſium legimus diſcumbentibus hedeream inſtituiſſe coronam, quæ inſita frigidifica vi vini potentiam retunderet, nam ea contra graſſantis ebrietatis impetum obſepit, calidum ſiquidem meri capitis poros patentiores reddit, frigidum enim ſic contemperat, vt ſcandentes repercutiat vapores.

Eſt & altera priſcorum patrum cura, vt crapuloſa extinguantur, vt lactucis cœnæ fine veſcerentur, cum inſitam frigiditatem habeant maxi-

mam, nunc autem initio ea vtimur cęnæ ad conciliandam appetentiam Vnde Martialis:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorũ
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Dioſcorides tanquam acrepulam nũcupare videtur, quod ebrietatem prohibeat. Vini autem poſtquam meminimus, de eo enarrentur, quæ viſa ſunt, quomodo oporteat

Vinoſos abſtemios facere.

Multi enim ſunt cum vinum libe-ralius hauriant, vt nil eis perniciosius ſit, in morbos, & deniq; in mortem incidant: at eos aſpernari & abhorreſcere ſi voles, & Clitorius fons longe abeſt; Anguillas tres vel quatuor vino immerſas ſinito dum emoriantur: ebrioſo vinum admoueto, & pertedeſcet ſemperq; oderit, nec amplius bibet, vel quam minime modeſtius degens.

Mullum quoq; vino ſuffocatum Athe-

(Athenæus memoriæ prodidit) si protinus à viro absumatur, Veneris impediendæ potestatem habere, si à muliere, nunquam eam concipere. Fortasse alio modo placebit, vt hæc amplius deguſtent, idq; docet Iarcas, vt in Apollinij vita demonstrat Philostratus: Obseruato vbi noctua niduletur, illius oua præripias, elixata infanti in commessatione præbeto, semper inde vina perosuro. Sic è cæsa vite distillans aqua, multum potata sobrium facit, vti Democritus docuit. Scire autem

Vinum an habeat ammixtam aquam.

Ex Democrito & Florentino condisces: Mala vel syluestria pyra vino immerge, si perfluitantia supernatauerint meri indicium, si mergantur, iam diluti.

Ex Sotionis experimento: Paleam arundinẽ, vel sarmentosum aliquod oleo illitum in dolium immittunt,

extrahunt, & ſi aliquæ hærent guttæ aquam habet.

In calcem fundito, ſi calces diffundet aqua mixtione defraudatum & conglutinans meracum eſt.

Sic in linteum ſi diffunditur: & præterea multa extant. Si vero mixtum diſplicuerit, ecce

A vino aquam ſegregandi modus:

Ciſſibium paratum habeas, id eſt vas ex hedera tornetur, vel aliter cõficiatur, vinũ cõijcies, & ſi qua mixta fuerit aqua breui tẽpore foras extillabit, quod contrarium antiquos omnes, & recẽtiores ſenſiſſe video: cui tum ratio, tum experiẽtia reclamat: nam cum foraminulentum ſit lignũ, multisque interpateat rimulis, aqua humorum omnium ſubtiliſſima ex Ariſtotele foras effluet, quod corpulento magis referatur.

Eſt & alia ſegregãdi ratio licijs vel penicillis ex goſſipio vel lino dolio immerſis, vt ſupereminent, ab co-

qua ſecernitur. Sic vino iniecta ſpongia & expreſſa, plus aquæ quam vini eijciet. Sic breui temporis proceſſu

Vinum diuerſe odoratum

Reddes: Ardẽti aquæ immergantur ſimplicia, cuiuſmodi odoris quæ-ſieris vinum: nam aquæ natura odorem illico combibet, per colum trajicito, & deſœcatum ſinito vt conſidat, vino immiſce, ab eo enim ſapore non eſt diſſimilis, & nimium perolentia relinquet. Nunc docetur

Aqua ſalſa quomodo reddatur potabilis.

Quod docet Ariſtoteles: Si enim vas cereum efformabimus vacuum, & in maris aquas immergimus, quæ per ceræ poros intro delabitur, fiet potabilis. Sic crudo fictili vaſe obſtructo ore, quod.n. intro permeat percolatum eſt, quod ſalſedinem facit per commixtionem, ſecernitur.

Fit aliter vberius & celerius: Sabulonẽ fluminum in ſallam aquam

immittas,& pauliſper immoraberis, & lineo panno ſubiecti vaſis ori, obtento colatur, donec ſalſamentum amiſerit omne & dulceſcet: multa vti vilia ſileant. Nunc autem dicemus vtrum potuerit videri

Anſer iam viuus excoctus.

Sæpe enim lautis opiparisq; menſis magnatibus apponuntur,ſic inualuit gulę luxus:cape conficiendi normam: Sit anas,vel anſer,vel aliud viuacius animal, ſed in hoc anſer omnibus anteſtat, capite colloque relicto toto ſit implumis corpore, ſit hinc inde obuallatus igne, & circumſeptus,non arcte, ne ſuffocetur fumo, neue igne torreatur citius,non large, ne impunis euadat: intus paſſim pocilla,& ollulas aquæ plenas,cui ſal & mel adiicias,ibiq; lances elixatis malis ſint plenæ,& teſſalatim diſco conciſis,ipſe totus liquamine obductus & laridatus,vt elculentior ſit,& facilius de-

lius decoquatur ignē admoue, feſtinare nolito, vbi calore efferuere cœperit, circumambulando & fugiēdo præſepit ignis & iter includit, ſic improbus aquam abſorbendo cōpeſcitur, cor, cæteraque membra refrigerando, medicamenti vi laxat aluum, abſtergit & exinanitur: & vbi inferbuerit, interiora decoquet, ſpongia continuo cerebrum, & cor humectato: vbi vero inſania ferri & ceſpitare conſpexeris, deficit cordi humidum, remoue, cōuiuisappone, eaulis ſemper partibus vociferantem, vt fere prius commeſſatus, quam mortuus videatur. Nec viſu iniucunda

Murena eodem tempore frixa, elixa, toſtaq;.

Erit: primo panni attritu eā excruciatam veru infigas, & elixas & frixas quas vis partes, ter, quater lineis obuoluas linteolis, inſperſo in vino pipere, in elixo petroſelino, croco, mēta, fœniculo, & paſſo contuſis, aqua & ſale,

& ſale, vel iuſculo madeant, frixas oleo, ad ignem volui iubebis, faſciculi aſpergine origani ſemper humectando: vbi pars iam fuerit torrefacta remoue, & optimum erit obſonium, epulaturis præbeto.

Ouum vt hominis caput magnitudine ſuperet,

Reddere tam ingens ſi vis, extat artificium, nec à naturali dignoſci poteſt: Decem vel plura boleta, & albumina inuicē ſeparabis, boleta leuiter cōmiſceto, & in veſicā immitto, rotundamque ligando imitaberis figuram, in ollam aquæ plenam immittas, & cum bullis intumeſcere cernis, vel cum duritiem traxerint, eximes, & albumina addito accommodando, vt in medio inſideant, & iterum coqui ſinas ſic corticibus enudatum habebis, quas ſic effinges: Quorum cortices albas & elotas cōteres, vt in tenuiſſimum puluiſculum

lum volent, forti aceto, vel distillato emacerari finito, dum mollescant: nam si ouum in aceto diutius fuerit appositum, cortex eius dissoluitur, & tenerescit, vt facile per strictum os phialæ possit immitti, vbi fuerit intromissum clara aqua in pristinā reddit duritiem, vt demirari contingat. Cortices cum vnguenti formam præ se tulerint dissolutæ penicillo aliquo, super excoctum ouum corticē inducas, & clara durescit aqua, tunc verum, & naturale habebis ouum. Si vis autem vt

Pisces charta frigantur.

Ex charta simplici frixiorum vas efformato, ibi oleum & pisces ardentibus prunis, quibus flammæ desint, imponantur, & citius, & commodius expediet. Nec superpondij modo addere pigeat, quod fortasse scisse non obfuerit. Si vis dissecta caro iterum coalescat: Symphyti, quod vulgo con-

go conſolida maior dicitur, radices, quæ foris nigræ ſunt, intus candidæ, & glutinoſæ, vna cum conciſis carnibus ipſis coquantur, & celerrime coniungentur, vt inciſuræ non videantur. Nec inferior vis petrea ſimphyto ineſt, quod ſumme glutinet, ſic quoq; de holoſteo fertur. Si chalybis fruſtulum iniiciatur ignitum in deplumatũ, & exinanitum pullum & tegatur, ne calor euaneſcat, & ſi retro inficit odore, eſui tamen bonum erit.

Sic pipionem exoſſum reddes. Si exenteratum acri aceto per naturalem diem ſinas, bene lotum, & aromatibus repletum, elixabis, vel aſſabis, ſic eis caret, oſſa vt ſimul mandi poſſint.

Sic oua vinæ calci obruta, aqua experſa decoquuntur.

Si friabilem gallum, vel tenerum exoptabis: Iugulatus penſilis adhæreat ficus ramo, & maximam accipiet teneri-

teneritudinem, quod Aristionis coquus dum Herculi immolatum gallum, qui fico pependerat, inter epulas attulisset, admiratus Aristio citam teneritatem, è durioribus periculum cœpit, & verum reperit. Liræ chordæ minutatim concisæ, nuper excoctæ carni reiectæ, vermiculari videbuntur. Et leporis excoctum, & congelatum sanguinem in puluerem versum super carnem inspargendo, sanguinosa videbitur caro, vt nauseabundus eiicias: & multa, quæ gulosis relinquimus. Sat sit tantum debacchatum esse.

De Mechanicis quibusdam experimentis.

Quædam extant non spernendæ subtilitatis experimenta, ab omni mixturæ additamento secreta, quæ non iniucunda fore putauimus ingeniosis, & artificibus, vt omne liber hic suboleat. Extat & artificium, quod aliquibus

Drace

Draco volans

Vel Cometæ ſidus dicitur, cuius talis ſit conſtructio: E ſubtilioribus arundinum praxillis quadrangulum conſtituatur, vt longitudo latitudini hemioliæ ſit proportionis, diametri duo & ex oppoſitis partibus vel angulis immittuntur, quarum interſecatione funiculus illigetur, & eiuſdem quantitatis, cum duobus alijs iungatur, è capitibus machinæ prouenientibus: ſic papyro, vel ſubtili lino obtegatur, ne quod graue in ea ſit: inde è turris montis, vel altioris loci faſtigio, æqualibus & vniformibus ventis credenda, non validis ne diſrumpatur machina, nec leuibus ſi vndique ſilebit aura, nam eam non ſublimat, ventorumque ſegnicies irritum faciat laborem: ipſa recto non incedat tramite, ſed oblique, quod efficit funis tractus è capite vno ex altero longa cauda, quam è reſtibus effin-

effinges æquidistantibus, & papyris passim religatis, sic leui tractu immissa, artificis manibus committenda, qui nec segniter, nec oscitanter, sed valide impellat: & sic volitans carbasus aera petit, vbi paululum fuerit eleuatum (hic enim ex domorum anfractu disruptus est ventus) vt vix manibus compesci, vel retineri queat. Laternam aliqui supra locant vt cometa videatur. Sclopum alii charta & pyrio puluere inuolutum, & cum in aere quiescit, immittitur per restim accensus funiculus, anulo, vel lubrico aliquo, statimque velum peteus, ignem ori admouet, maximoque tonitru, in plures machina dissilit partes, & ad terram procumbit. Aelurum aliqui, vel catulum ligant, ac per aera immissas auscultant voces. Hinc auspicari poterit ingeniosus principia, quonam pacto, & homo volare possit, ingentibus alis cubi-

cubito,&pectori deligatis,eas autem à pueritia paulatim iactare assuescat, loco semper sublimiori. Quod si quispiam id mirũ putauerit, aspiciat ea,quæ Archytam Pythagoricum cõmentum esse, atque fecisse traditur: plerique enim nobilium Gręcorum, &Fauorinus Philosophus memoriarum veterum exequentissimus, affirmatissime scripserunt, simulachrum columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaq; mechanica factum volasse, ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa,atque occulta concitum. Sic facere possumus, vt

Ouum in aere ascendat.

Oui corticem vacuum rore complemus,& Maio mense eum accipimus: (alio enim tempore, vt æstate & autumno,verus ros non est, vt physicis constat rationibus)& in meridie Soli oppones, & ab eo eleuabitur, & si

difficilis aliquando fuerit aſcenſus, baculi, vel tabulæ adminiculo, dum aſcendere incipiat, facilius eleuabitur. Altera quoque remanet ludicra ſubtilitas, vt tres

Schedulæ non tactæ ſitum permutent.

Quod illud penitus ignoranti, fieri non poteſt, quin mirabile videatur: Tres fiant ſchedulæ longiuſculæ è papyro, vel linteis, ſeque mutuo æquali ſuperent longitudine: nã capite vno æquatæ omnes, & æque reuolutæ, deuoluuntur, diuerſique ſitus reperiuntur, longior in medio, vel primo loco, ſi longior eadem in poſtremo fuerit loco, immobiles remanent, quod non eſt, qui non putet, à dæmonib. factum, ſed aliunde non euenit, niſi quia in reuolutionis fine remanet procerior, & extrema, à qua exoritur in reuoluendo remanent. Quorundam fuit error, qui

verbo-

verborum vi euenire putabant, ac de interrogatis omnibus, tanquam de oraculo responsa præbebãt, nam si situm permutabant, rite auspicari, effectusque propitiari, sin minus infortunari: nec voluere rationibus, & experientiis fidem permutare, cum habitum in credendo effecerint. Est quoque artificium aliud, vt

Candela ardens sub aqua deferatur,

Taliq; paratur arte: Longum habeto vas, & capacitatis non incommodæ, ori lignum applicetur, quo ardens candela insideat immobilis, & inuerso vase lumen fundum feriat, sic totum aquis penitus immergas nec subintrabit aqua, cũm aere repleatur, & sub aquis ardebit multum, secundum vasis capacitatem.

Nec admirationis minus extat, experimentum, cum voles, vt

Vas inuersum aquam hauriat,

Quod sic efficies: Longissimi colli pa-

li patetur vas, & quo longius, eo mirabilius, vitreum vero, & pellucidum, vt ascendẽtem inspicias aquam hoc bullientis aquæ expleatur, & vbi totum effecerit, vel igni fundum admoueto illico, ne frigescat inuerso ore aquam tangat, & intro totam absorbeat.

Sic naturæ rerum exploratores Solis radiis aquam hauriri, & absorberi aiunt, è terræ concauis locis in montibus, vnde fontanea efficitur scaturigo: nec leuia insurgunt hinc artificia in spiritalibus mechanicis, vt tradit Hieron, sed vti ab hoc proposito aliena, alio transferatur. Simile quoque à Victruuio de ventorum ortu affertur, nunc vero in domesticum peragrauit vsum. Sic enim

Vas ventum proiiciens,

Confici potest, si fiat æolipila ærea, vel rei alterius, sit caua, & rotunda, & in ventre punctũ habeat angu-

ſtiſſimum, quo aqua infunditur, & ſi fors arduum fuerit, priori vtere experimento, ſi ad ignem accedens inferueſcit, cumque nullum habeat ſpiramentum, maximum inde eiicit ſpiritum, ſed vapidæ craſſitudinis humectum. Nunc ad alia tranſire nobis liceat.

Funis ſi manibus conuoluatur, vt ſe inuicem ſecet, leui brachii tractu rumpitur, & absque eo difficile.

Sic pugno later erectus percuſſus aliquantulum, vel marmor, in plures diſſilit partes, nec minus, ex fluminum volutationibus attriti, & rotundi lapides rumpuntur. Et leui ſecatur pomum ictu, ſi cultrum capite percuſſeris, illudq; parum ſecet.

Si in hordeo inueſtigaueris, ſylueſtris auenæ ariſtulam reperies nigram, & obtortam, locuſtæ pedibus ſimilem, ſi eam paginæ cum cera ligaueris, mollisque aquæ aſpergine diſſe-

disseminaueris guttulas, vbi humidum senserit distorquebitur, vt liræ neruus, & erigitur charta, nec minus nummus styli acie volitabit.

De mulierum cosmetica:

Inter cetera circumferuntur, & expetuntur maxime experimenta, quæ muliebribus dehonestamentis, & speciei conferunt, multumque referre aiunt, nos ne alibi quærantur, hic scribere decreuimus. Primo autem

Capillos tingere

Docemus flauos, nigros, aureos, cuiusque placuerit coloris. Flauos enim reddes multum mellis oleo, & vitellorum ouorum. Nec minus lixiuio è sarmentitio cinere, hordei palea, liquiritio corticibus, rasura, & buxi frondibus, croco & cumino, si sępius capillos laueris maxime flauescent, aurique colorem imitabuntur. Nigricabunt valde corticum ficus, gallæ, elates rubi, cupressi, & simi-

liuij lixiuio. Hoc tamen commode tinges modo, barbā, & capillos, ſi cui caneſcunt: Argentea ſpuma, combuſtum æs, fortis lixiuij quadruplo permiſcetur, dumque leuibus prunis in bullas erumpit, lauabis, & reſiccatos calida perlues aqua.

Sic nigreſcunt ſupercilia: Frigantur oleo gallæ, eas ſalis ammoniaci puſillo tritabis, inde aceto immiſcebis, quo rubi, & mori cortices ebullierint, illinantur ſupercilia, & per noctem immoraberis, inde ex aqua eleuabis. At quia ſæpe accidit, vel locus pilorum multitudine deturpetur, vel glaber fiat, talia excipias

Pſilothra,

Quibus perlitus locus glabreſcit illico, & diutiſſime partes omnes pube immunes ſeruari poſſunt. Si vulgari decocto perunxeris, viuæ calcis, auripigmenti tertio, fortique lixiuio, & dum coquitur, pluma experimen-

mentum capias. Columella vero iubet ranam luridam in aquâ coquere, vſque dum ad tertiam partem decoxeris, eaque corpus vngere, ſi quod glabrum facere voles. Sunt & infinita, vti hederæ, & vitium lachryma, quæ veluti gummi eſt, & pſilothri effectum habent. Sed illud vt commodum ſatisfaciet.

Et ſi nunquam rediuiuos quæris, glabras rite partes tali radicitus erues illitu: Vti formicarum ouorum, hyoſcyami ſucci, cicutæ, & pſyllii ſeminis, veſpertilionis, & teſtudinis ſanguinis. Alii aurea bractea ignita locum inpuberibus percurrunt, vt ne veſtigium remaneat, nec amplius lanuginoſum appareat. At

Pilus citò naſci

Si velis: combuſtarum apium cinis, cum ſoricis ſtercore, ſi roſaceo illeueris oleo, naſcentur & in manus palma, quibus & addere rite poteris

auellanæ, castaneæ, dactylorum, & reliquorum fabilium cinerem: ex omnibus enim renascendivis destruitur, vel prodeunt molliores. Vnde Augustus solitus erat crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Si vero

Oculorum colorem permutare

Pueris velis, sic id assequeris: Putaminum coryli nucis cinere, ex oleo singiput illinatur: puerorum albos oculos denigrari contingit, operatione iterata. Plæraque extant experimenta, albos, & glaucos oculos nigrefaciendi, & varios, inducendi colores: sed hęc missa faciant, cum non tam leniter egentes oculis periculum capiant, nec experientiæ vti quæritur, respondeant. Nunc

Genarum liuorem abstergere

Sic poteris, præcipue mulieribus, tempore quo menstrua patiuntur: Locus illinatur cerussa, fabarum puluere,

uere, aceto immixto : Vel ouorum boletis melle mixtis. Quædam sunt quoque

Smegmata mulierum,

Quæ nitorem, & leuorem faciebus inducunt. Vtimica panis in caprinum lac serum iniecta, extillata inde aqua faciem peniciſſabis, mirum admodum ad eam dealbãdam, & nitorem cuti conciliandum valet. Nec minus asininũ candori confert, nam cutem erugat, polit, & molliculam facit. Ideo non temere Poppea Sabina Neronis vxor quingentas semper secum asinas ducebat, ac balnearum solio lacte illo corp⁹ totum macerabat. Vbi sic inalbueris,

Roseum faciei colorem conciliare

Poteris sic leniter, & fucum facies, qui non detegitur, omnesque artificiosa simulatione deludes: nam clara aqua puniceas reddes genas, diu, multũq; perdurãte colore, eoq; rutilantior

lantior fuerit locus, quo magis aqua laueris, & panno perfricaueris : Ex Cardamomo, vel quæ pharmocopolæ paradisi grana dicunt, cubebis, garyophylis, brasili rasura, & ardenti aqua sæpius extillata (vbi aliquantulum fuerint immorata , vel igni lento, vel putri fimo) aquam elicies, qua sæpe facies madeat, dum operari incipit. Si diu vrticam ebullies aqua, sæpeque corpus laueris coloratum, & roseo colore insignitum reddet, si id diu continuabis.

Sic autem gingiuas, & labia tinges, alumen, coccos, brasili rasura tritetur, aquaue perfusa omnia Soli exiccentur, iis madeat bombax, quo labia & gingiuas perfricabis. Si autem

Aquæ ad faciem magonizandam,

Et accommodandam quæruntur, si fors fuerit res cordi , vt leuore splendeat, oui albumina coquantur & du-

& dureſcant, iis aquam extillabis, eritque vſui apta, ſic roſmarini, fabæque florum & limonum ſucco.

Hæc autem aqua omnium præſtantiſſima, ſolertique cura excogitata: Talcum in minutiſſimum redigatur puluiſculum, ollæ indatur, & item coclearum multam immittes copiam, & operculato ne fugiant: nam alimento fraudatæ, immiſſum vorant talcum, concoquunt, vbi omne voraſſe noueris cum teſtis tuſas vitreo accommodabis organo, aquam extillabis & ſeruabis ad faciem: Fæces noctu ſubdialibus locis ter opponito, ac denuo vaſi imponendo oleum accipies, quo nil præſtantius ad capillos fuerit. Sed

Furfures à facie abſtergere

Sic poterunt mulieres: Vaccinum hircinum, & caprinum fel cum vitri puluere immiſceantur, & mollis facies illinatur, & eam maxime

purgat & faciem venuſtat: Draconteæ autem ſuccus maculas omnes emendat, præcipue ſi eis os dehoneſtatur. Aliqua nunc apponemus

Dentifricia,

Quæ optima parabantur antiquitus, ex purpurarum & buccinarum teſtis crematis, nunc autem cito poteris vri combuſti panis micis, pumicis polline, corallis rubeis, ſepiarum teſtis, ceruino cornu, & ijs ſimilibus, quorum vnumquodque rite expolit & abſtergit. Sic cocci granulis, ſi purpura perfricabis. Omnium tamen optime ſulphuris oleo, nam expolit, leuigat, & maculas propulſat omnes. Fit quoque aluminis & ſalis aqua exſtillata. Poſſumus &

Mandibularum incrementum prohibere,

Si volumus: Contundatur cicuta, eiusque magmata cum aceto virginum vberib. imponantur, & ſic coerceat, vt creſcere non patiatur, præcipue

pue hoc in virginitate, quanquam solito lac deneget tempore: Molles autem & relaxatas sic coerces: Alba argilla, oui albumē, omphacitis galla, mastiche, thus, tusa omnia calido aceto immisceātur, & illinantur māmæ, & integra nocte commorare oportet, & finito illic esse: si parū fuerit efficax opus innouato. Iuuant & ad hoc mespili ossa immatura sorba, sylueſtria pruna, acacia & malicorium, balauſtion, immaturæ nuces pineæ, sylueſtria pyra, & plantago, si aceto ebulliantur omnia, & mammis apponantur, aut aliqua. Sic autem poteris

Ventris rugas à partu abſtergere.

Diu aqua immatura coquantur sorba ouiq; immisceas alborem nec desit aqua, cui arabum gummi sit solutum, tali linteum pannum madeat aqua & ventri accommodetur: Vel combustum ceruinum cornu,

amiãtus lapis, ammoniacus ſal, myrrha, olibanum, maſtiche, in puluerem redacta omnia, cum melle permiſceantur, & erugat omne.

Sed quærens Naturæ oſtium reſtringere: ex parru enim relaxari ſolitum eſt, quod & ſi viro diſplicuerit, ſic reſarcies: Omphacites gallus tritato tenuiſſime, quibus garyophyllorum pulueris parum admiſceatur, vino ebulliant, quo pannum madeat, & loco applicetur.

Vel ſic meretricium & populariũ reſtringes & coarctabis: Gallis, gummi, alumine bolo, draconis ſanguine, acacia, plantagine, hippociſtide balauſtis, lentiſco, ſimphyto maiori minorique, cupreſſi nucibus, vuarum acinis, glandium coſtis, vel cauo illo quo glans prorumpit, & dehiſcens nucleum oſtendit, maſtiche & lemnia terra. Si hæc omnia rubro vino vel aceto decocta ſint, & ſæpe ma-

madeat vulua, coarctatur & supprimitur valde. Vel hæc in puluerem redacta, intro per arundinem traiiciantur, vel iis suffimenta substituantur.

At si defloratam mulierē integræ virginitati restituere vis, tali pillulas constitues pacto: Alumen combustum, mastiche adiecto calcanthis & auripigmenti momento in tenuissimum redigantur puluisculum, vt fere tactum effugiat: pluuiali aqua pillulas vbi coegeris, digitis comprimito, & tenuem resiccari curato, ac naturalium ostio hymenæi loco accōmodetur, vbi prius fuerit rupta, senis quibusue horis immutando pluuiali vel cisternina semper aqua fouendo, per naturalem id diem: & hinc inde vesiculas inducunt, quæ contactæ sanguinis inducunt profluuium, vt fere dignosci nequeat. Hirudine aliqui locum mordicus capi curant.

fic eruſtulas inducunt, & fricatæ ſanguinem mouent, vbi prius prælatis arctauerint. Si aliquando tale hoc placuerit ſpecimen, vt

Facies fucata palleſcat,

Et dignoſcere quæris magonizatam faciem, ſic fiat: Crocum dentibus commanducabis, & ore propius mulieri inter alloquendum appoſito, flatus deturpat faciem, & ſubroceam reddit: ſi autem nullo fuerit circumlita fuco, innoxia remanet. Extat & alia

Aqua faciem denigrans,

Sæpeque mulieres fallit: luglandis calloſo, herbidoque putamine illo, quod guliocam dicunt, & gallis, chymiſtarum organis clariſſima eliciatur aqua, qua ſi facies vel manus maduerint, nigreſcunt paulatim, vt Aethiopes videantur, quod ſi abiicere & priſtinę albedini reſtituere vis: Acetum, limonis ſuccum, & colophoniam extilla-

extillabis, talisque lotura nigrum illud abiicit & propulsat.

De muliebribus quibusdam remediis.

Quædam præ dictis succedunt experimenta, expetibilia multum, cum sæpe accidant & vsu veniant, & si aliquibus inhonesta & non scribenda videbuntur, late quærat medicorum libros, vt nil aliud fere tractent, id autē vtilitatis hoc affert caput, quod si ea dubia aliquib. videbuntur, hæc experientia selecta scripsimus. Primo autem

Veneris in castris militare

Si quis vult fortiter, tali muniatur cibo, præcipue bulbis: omnes enim Venerem stimulant. Vnde Martialis.

Cum sit anus coniux, cum sint tibi mortua membra:
Nil aliud bulbus, quam satur esse potes.

Columella item in hortulo:

Quæq; viros acuunt, armantq; puellas
Iam Mevaris veniant gentilia semina bulbi.

Sic

Si eruca large ſumpta, cicer, cæpæ, paſtinaca, aniſum, coriandrum, pinearum nucum nuclei, inter hos ſatyrion large mouet ſemẽ, & fortius venerea in re obſtat, & mulieribus libido acrius excitatur, veneriſque vrticæ ſunt. Si que nobis eſſet herba illa, quam Indus attulerat (cuius meminit Theophraſtus) vt non ſolum edentibus, ſed tangentibus iam genitalibus adeo vis increſcere, vt valerẽt quoties coire vellent, & qui ea vſi fuerant duodecies perfeciſſent, illum autem ad ſeptuageſimum coitũ peruenisſe affirmat, vt tandem guttatim eſſet ſpermatis emiſſio, & in ſanguinem deueniret. Vnde ſi ex omnibus vel aliquibus Venerem vis ciere, tali remedio vtere: Satyrij ſumito radices, pineæque nucis nucleos, aniſum & erucam, & æquali certent pondere, ſcincorum medietas, moſchi parum, ſic electo & deſpumato melle confi-

conficiantur, nec remouendum paſſerum cerebrum, ornogloſſum, ſylueſtris eruca, & ijs ſimilia. Si quis autem certando vellet mulieris ſemen mouere, coli glandem, moſchi, & vulgo dicti zibeti, caſtorei, cubebarum, & olei ben aſpergine irrigato, vel horum vnum: coeuntes enim large mouent. Vterq; autem ſic delectabitur, longum piper, piretrum, galanga contundantur, pulueris puſillum cum melle conficiatur, eoque vtantur. At

Veneris deſideria obtundere,

Contra ſic poteris: Rutam commanducato & caphuram: deſtruit enim ſtatum, quo erigitur virga: vt eunuchus vir euadat. Sic vitex inhibet Venerem, & ſi ſubſternatur, bibatur vel manducetur ſemen deſiccat. Vnde matronæ in Thermophoriis Athenienſiū foliis iis cubitus ſibi ſubſternebāt, nec minus lactuca, quibus conti-

cõtinuo comeditur coeundi adimit facultatem: ideo Pythagoras vocabat γονάκεον, quod verborum inuolucris innuunt quoq; Poetæ, Callimachus cecinit Adonidem, cum lactucam comediſſet, ab apro interemptum, atq; à Venere ſub lactuca conditum, quod holere tali (Athenæus ait) Venus elangueſcat, & impotentes viri ad concumbendum fiant.

Valet ad conceptionem leporis vterus, ſi mulier ederit, & ventri impoſuerit: vbi vero conceperit ab his omnibus cauere debet, nam conceptum deſtruere poſſunt: Vti mentha naturalium hoſtio poſt coitum appoſita: genitale enim ſemen corrumpit, & lacti appoſita, nec coaleſcere, nec cohibere facit etiã adiecto coagulo, imo ſi mammis acceſſerit, nec denſari lac patitur. Crocum concipiendi vim maxime amolitur. Salicis decoctum ſi ieiune bibatur, ſterilem reddit,

reddit, cum ocyſſime ſalicta ſuum deperdat ſemen, vt in araneam prius abeat, quam maturitatē ſentiat. Vnde Homerus frugiperdam appellat

Κλήτροις αἰγαροιχαὶ ἵτεα ὠλεσικάκοι.

Sic mulæ vngulę fumigium, vrina, ſudor, aqua, qui ferrū extinguunt fabri, hæc omnia poſt menſtruorū profluuium. Sed inter hæc ſaltatio præualet, & præcipue obeſt ei, cum ſe nimium motitarit, poſt cum vito congreſſum, nam cum retinere nequeat genitale ſemen infuſum, irritū foras prolabitur, & reſilit, quod fortaſſe erat coalitum: Vti pſalteria illa, quam narrat Hippocrates, quæ cum ſemen non conceptura retinere nollet, ne cōceptio ignobiliorem redderet, ad terram diſſiliens, ac genitura exacta ad terrā eius defluebat ſemen.

Superſtitioſi alij ſeptenarij numeri virtuti fortaſſe pyrhagorizantes, & occultæ proprietati aſcripſerunt: cum

cum modo Hippocrates ſeptiès dixiſſet, id tamen falſum coarguitur, cũ ocyus & tardius defluat, quod ſi magis ſaltauerit, ſcito minus conceptu-ram. Sabinę ſucco hauſto, ruta, ſcammonio peſſu inſtar vuluæ indito, ſuffitus opoponacis, galbani, & viui ſulphuris. Inter hæc nigro (quem vocant) ſapone prolita gallinæ penna, vuluæ admota, nam illico abortum parit. Hæc omnia ſunt maxime præcauenda, nam prægnantibus obeſſe ſolent.

De elichniis, eorumq; præſtigiis, & quomodo homines equinis, aliorumue animalium capitibus videantur.

Diu multumque cogitaui, vtrum antiquis arcana huiuſmodi ignorarentur, an veritati reſponderint, quæ de eis dicuntur, & ab impoſtoribus promittuntur, nec parum gauiſus ſum, cum inter antiquos multos compererim, quibus hæc fuere curæ, præſer-

præsertim Anaxilao, Plinianæ assertioni fidem adhibendo: nec parum in his inueniendis desudauimus ad explendam nostram historiam, nec ab re fuerit eorum commeminisse, & in medium afferre experientiæ accommodando: iis primo assuescat operator, ad alia paulatim deueniés: docenturque primo, quomodo videri possit omne, &

Coloratum cubiculum.

Sed maxime id perpendendũ duco, luces omnes amouere, ne lumine illo impediatur, supereturq; è lampade color emanans, & frustretur illusio, si die fuerit, claudantur fenestræ, ne aliquod lumen irrumpens præstigium destruat.

Viride autem sic videbis: Sit viridis lampas, vitrea, & pellucida, vt pertranseuntes radij medij colore inficiantur, & (quod in hoc plurimum conducit) oleo, vel omni quo viuit humido,

humido, immiſceatur ærugo, vna ri-
teterantur, vt humor fiat viridis, li-
chnus ex linteo coloris eiuſdem, vel
è goſſipio paretur vncto, lampade in
illa peruratur, oppoſitum feriens lu-
men, viride omne, & intuentium
vultus oſtentat.

Nigrum autem omne, ſi videre
deſiderabis: atramentum immiſce
omni, fuliginem vel ſimile: melius
autem è ſepiis immiſſum atramen-
tum, nam lucernis admotum, ſi ac-
cenditur atra lucet flamma. Sic Ana-
xilaum luſiſſe fertur, ſæpe enim ex a-
tramento ſepiæ aſtãtes æthiopes red-
debat & nigros.

Flauum ſi teres omne, vti auripi-
gmentum, crocum, lupinorum cor-
tices & oleo permiſcebis, & accendes
in eo funiculum, flaua lampade, cro-
ceum, conſpicies omne.

Viride partim, flauum partim, &
nigrum ſi præoptabis, hæc inſimul
permi-

permiſceto: vti quoq; tradit Simeon Sethi, ſi quis thryallida, id eſt, lucernæ ſtupam, in ſepiæ atramento, & æris ærugine intinxerit, homines circumſtantes videri, partim æreos, partim nigros, propter mixtarum rerum inſperſionem. At

Domum argenteam & luminoſam videre

Si præoptabis, ſic efficies: Nigris abſcinde lacertis caudas, & ſtilla è fractura emanans lucida excipiatur, è multis tamen plures adunabis, & papyraceum licium vel ſparteum inficies, & ſi poteris oleo permiſceto, ſic argẽteo colore omne videbis perfuſum. Idem in omnibus imitaberis.

De ſtanno, & eius medicinis primi ordinis.

Eſt plumbi ſpecies altera, & alba, quam ſtannum vocant, cum ab eo parũ differat: vnde ſæpe in plumbum vertitur; & plumbum in ſtannũ: perfec

perfectius tamen plumbo est metallum. Est & argenti æmulum, simulq; multum colore communicant, hærentq;: suapte natura stannum talem sortitur colorem, vt alia maxime dealbet corpora, sed frangit, & friabilia reddit, præter plumbum: quiq; artificio aliquo commiscere callet, non minimum nanciscitur opus. Pro viribus ergo argentū imitari conemur, quod facile præstabitur, si quæ inficiunt, infirmitates abolescimus, ac funditus eruimus stridorem, videlicet, surditatem, liuorem, & mollicie: non enim prius ignitum liquatur, sed igni adhærescens eximie velox fluxū facit: has impingunt notas, nec in meditullio coniuncte, sed vti aduentitiis illud spoliare possumus, & primo docebimus:

Stanni stridorem tollere, & molliciem.

Non desunt, qui id euenire tradāt cineribus, calce, oleis & destillatis aquis,

aquis, si colliquatum extinguitur, nec minus bullitionibus: at sic perfectius, & commodius expedies: Igne stannum postquam fuerit solutum, argentum viuum inijce, amoue, & in vitrea cucurbita accommodato, cui venter in orbem turgescat, & collum in longum porrigatur, atque curuetur, inferuescat igni, eiusque vis argentum viuum sublimet, & per vasis collum suspendatur, & descendat stillatim, vt prorsus absumatur, remanet in fundo stannum, hoc identidem ter, quaterque efficito, dum penitus, vti glacies, nullum exhibeat stridorem.

Sic vero aliter rectius expedies: In calcem redigito, vti docuimus, vt fugitiuam illam, & non fixam argenti viui substantiam deleat, vel sulphuris potius illius causam: & si primam & secundam post vicem non eueniet, viciſſim tertio prosequere:

in corpus cum debitis reducens, voti fies compos, & sic durescit, vt prius igne candens videatur, quam soluatur: nam vehemens ignis viui argenti humidum consumit, quod facilem præbet fusionem, vt durius igne soluatur, & sic omnia possumus corpora mollia indurare vt ignientur, sed manifestius in stanno, quam in alijs metallis id experitur. Si vis autem

Stanno surditatem adimere:

Quia per se molle, est surdum: cedit. n. percutienti, metallis vero reliquis associatum fit magis durum, & sonorum, sed hoc opus hic labor erit: consortium n. peruicax omnium respuit, nisi plumbi, & omne reddit fragile. Sed tali perficies artificio: Forti aqua solutũ fatiscat, sic argentũ rite purgatum plumbo, aliudue, vna misceatur aquæ & leui igne vas inferuescat, & vi redundantis caloris

in va-

in vapore ſoluta ad ſumma elata deuoletaqua, reſiccatam extrahito, & in aliud transferatur, vas, forti denuo infuſa tantiſper aqua donec cõiiũcta, ac per minima complexata videantur: Vel vtrumque in aquam ex calce redigatur, & permiſceatur: ſpirituum enim (vt aiunt) corporumque fit mixtio.

Si contingat ipſius lucem hebetari: Igne liquatum cyclamino demergatur: ſic dulce, ſonorum fungens, & optimum, quod vocant, habebis album. Commiſceri quoq; poterit argento, & alijs ſtannum per viuum argẽtum, quod aliquos ſenſiſſe video, & optimum parant pſeudargyron: In liquatum cum viuo argento ſtannũ immiſcent argentũ, & diutius igne detinent, detrahunt, & ſic fragile in figulariæ cretæ pilam inuoluunt, & per diem ſub igne detinent, vel calidis cineribus. Facile quoque

Stannum in plumbum vertere

Quiſq; poterit, ſi ſæpius in calcem reducet, & præcipue, ſi conuenientẽ inductione illi adhibuerit ignem: ſtridorem enim amittens, facile in plumbum vertitur.

De auro, & argento, eorumque medicinis primi ordinis.

Nemo eſt, qui auro ijs operetur, cum nobiliſſimum ſit metallum, ſed omnibus illud imitari conantur, cum raro quoque antiquitus miſceretur: vnde ſi de eo medicinas aliquas apponerem, non niſi dicta repeterem, argẽto tamen ſic illud imitari conabimur. Et

Argentum in aurum tingere

Dabitur ſic facultas: Lixiuium primo tale parabis acre: Calx immittatur in ollam, cuius fundum crebris foraminibus ſit ſolutum, tenuibusque: peruium ſupra lignum, vel tegulam accommodabis: inde puluerem,

rem, & aquam paulatim infunde calidam, ac per arcta fundi foramina in ſubiectam fideliam mũdam defluat, ac iterabis, vt acerrimum fiat, in hoc tritum immittas ſtibium, vt in tenues auras euolare poſſit, ocioſo igni ebullire ſinas: nam vbi inferbuerit, purpuraſcet aqua: tũc per lineam laciniam, in purum vas exprimito, in reſidentes pulueres denuo lixiuium immittas, & in prunas ſufferuefacias tantiſper, donec non amplius cruentata videatur aqua, coloratum lixiuium conferuefacito ſubiectis ignibus, donec euanuerit aqua, reſidentem vero reſiccatum puluerem, cum tartari oleo deſiccato, & diſſoluto, & ex auri, & argenti ponderibus æquis lamellis fictili fuſorio vaſe viciſſim inſpergito, carbonibus celato tantiſper, & opus innouato, donec perfecti coloris prærogatiua aurum æmulari videbitur. Ære combuſto,

sic aureum colorem effinges : si ex calcantho, salnitro, alumine, cinnabari, & ærugine fortè facies aquam, ac solutum fatiscat in ea combustum æs, in corpus reducendo, aurei coloris multum retinebit: Fit quoq; cyano sæpius argentum inspargendo, & ignibus committendo.

De vivo argento, & eius medicinis primi ordinis.

Iam Hydrargyri operationes aggredi non intempestiuum videtur, & illius congelationes minimas, quod incongelabile putaueram, veras autem posterius: nunc, quæ aliquibus factitari non inutiliter solent, cupientib. aperiemus, & primo

Argenti viui congelatio cum odore

Metallorum, & præcipue plumbi, & nunc eo efficere libet: Purgetur plumbum, & à scorijs separetur, li uatum in foueam proijcito, vbi iam frigescere incipiet, ligni præfixa cuspi-

cuſpide, & detracta, fluidum immitito argentum, & congelatur, pila tundito, & multoties reiterabis, vbi durum iam habes, ſæpius colliquato, & in claram aquam immerſo, tandiu opus iterabis, donec durum, & ſub malleo ductile habes, nec tamen inutile fore cenſeas. Fit & alia

Argenti viui congelatio cum caſside ferrea,

Vel patina, proijciendo cum eo aquam, qua fabri ignitum extinguunt ferrum, ac illo duplum immittatur ammoniaci ſalis, calcanthi, & æruginis: vehementique igne finas ebullire, ferrea ſemper ſpatula verſando, & ſi abſumitur bullitione aqua, calida paretur alia, & proijciatur, ne ſinat ebullire: ſic diei quadrãte congelatum habes, inde linteo ſiſco, vel corio ſtricte manib. congelatum exugito, vt exudet quamtulumcunque habet, expreſſum denuo congeletur,

dum omne perficiatur, fic in prælotum fictile dimittatur cum fontana aqua detractis, quod peſſum ierant ſordibus, in eandem fideliam miſceto, & cõfundito, donec lotum, & clarum habeas, ſub dio tribus noctibus apponito, & in teſtæ duritiem craſſeſcit. Illud autem

Argentum viuum congelatum in aurum tingere

Si vis, & pulchre: Infractis particulatim partibus, cum cadmiæ terræ pulueribus alternis fuforium vas, & teſtaceum compleas, quibus mixtura mediet, è ſchidijs, & paſſis vuis, & cyperi radice indica illa, quam officinæ curcumam dicunt, contuſis, & inuolutis: expletum vas luto circũlinies, & Soli exiccabis, vel igni, vt Solis vicem penſet, fic igni appones, vt ferueat horis ſex, & incandeſcat, inde vi follium profletur, & maxime vexetur, vt fluxum faciat, & vbi fluxe-

fluxerit, frigeſcat carbonibus tumulatum, ſic aurum coloratum, & ſplendidiſſimum reperies. Et aliter

Argentum viuum cum æneis pilis

Fixum reddere poſſumus, & congelare: Aerea duo hemiſphęria fabricemus, vt ſe inuicem penetrent, ne expirare poſſint: intus viuum argentum cum cryſtallini arſenici æquali portione, & tartari rite contuſorum & cribro ſuccretorum immittantur, luto foras commiſſuræ perlinantur, ne reſpirent: ſic reſiccęſcant, & carbonibus exaggerabis: & obrues quarta diei parte, poſtremo incandeſcat totum, inde extrahes, & aperias, & totum ænei vaſis concauo coalitum inhæreſcere videbis, malleo percuſſum decidet, liquato, & proijcito, & optimum dabit argenti colorem difficileq; ab eo ſecernitur. Si æri immiſcere placet, cũ eliquato æris triplo immiſceas, & ſine argẽ: o

optimum ostendit album, dulce, & malleabile.

Vel aliter: Fictili ollæ æneum operculum imponatur, ac accenso igne mire viuum argentum in operculo congestum reperies, & mirabilius congelabitur: alii & ferro, chalybe, argento, ac denique auro conficiunt, diuersisque vtuntur modis, in aliquibus vtile fuerit scisse, nec meminisse obfuerit. Fit &

Argenti viui congelatio cum oleo

Alia, & sic factitatam à multis reperio, retinet tamen aliquid, & ingeniosa est valde: Ex argento, rubro arsenico, & aurichalco vas efformetur in sciphi speciem, quod rite operculum cooperiat, ne respiret, viuo argento reple, & iuncturæ luto muniãtur aliquo, oui albumine, vel resina pini, vt fit, & in ollam suspendatur, lini oleo plenam, & naturalis diei medietate sinas ebullire, extrahe, & ex-

& exemptum curio, vel ſtramine exprimito, & ſi quid incongelatum fuerit, opus iterato, & coagulari cogito. Si vas tarde coagularet, quantum ponderis amiſiſſe vides, ex aurichalcho, & arſenico rependas, è pondere enim dignoſcere non poſſumus, & vtere. Iam poſcit ordo fixationes aliquas apponere, cũ ſemper coagulationibus ſubſequantur, quæ plus aliquando, minusue retinent partium. Vnde

Argenti viui coagulati fixatio.

Hæc ſic procedit, nec abſque ratione: Teſtaceum vas, quod igni reſiſtat, parato, cuius fundo ſambuci radicum raſuram ſubſternas, manibus calcando & accommodando, aliud deinde ſternito pauimentũ è cryſtallino vitro, pila tuſo, & per incerniculum traiecto & ſubtiliſſimo: inde piperis, zinziberis, & cinnãmomi aliud, malagma illud, vel congelatum

latum argentum viuum imponas, inde vas reple pulueribus eisdem ordine præpostero, operculum imponito, ac luto munito, solique interdiu credendum: vt ad candorem reducatur. Sic vas inuertas, & leuib. subiectis prunis supra primum incandescat, per horam, inferius postea & colliquetur, & purum reperies argẽtum: si quid remanet alienum, omne non congelatum euolat, & ex omnibus, quas videre contingit, & experiri, fœliciſſima hæc succeſſit, omnib. vti poteris: vel in corpus illud fixat, quo fuerit congelatum.

Est & alia argenti viui fixatio, non vtilitate inferior, & vti poteris, si placuerit: Salnitrum & tartarum triturẽtur, & in pollinem redigantur: igne intus admoto, flammã erigens, comburitur, remanens in aquam vertatur, & leui flamma euolet humidum, & sal remanens cum chrysocollæ factitiæ

ctitiæ combuſtæ (comburitur enim vt albumen) triplo permiſceatur, ſalis achali duplo, hoc congelatum inuolue vaſe duro, ignis ſupra admoueatur, inde circum, tandem inferius ſenis quibusue horis, & partes retinet congelati aliquas.

De medicinis ſecundi ordinis.

Dicemus nunc medij ordinis medicinas, illæ enim nobis dicuntur, quæ ſuper diminuta aliqua proiectæ corpora, alterant ſic corpus, vt parum ab omni abſint complemento, minimisq; diuerſificantur differentiis, nec vltimis expoſitæ obſtant examinibus, ſic primi ordinis medicinas ſuperantes, vt à maioris ordinis medicinis ſuperantur, parumq; deficit, vt ad eas tranſeant. Sed quia difficillimæ ſunt, & difficulter reperiuntur, nos pauculas probauimus, & appoſuimus. Et primo

Argentum in aurum tingere.

Docetur, & tinctura tam completa, vt vere credatur aurum: Ex argenti elimata ſcobe, cum argenti viui triplo igni malagma confice, ac vitreo in vaſe carbonibus inferueſcat, dum illud argenti viui euolet, quo argentum ſuperatur, inde ſal ammoniacus, & viuum ſulphur æquali argenti pondere triturentur, ac vitreo in vaſe aliquo duas horas flagrantibus prunis immoretur, dum eius vis ſalem ammoniacum, ſulphur, inde viuum argentum ſublimet, & vaſis collo inhæreat, vas frange, & argentum aureo colore inſignitum, ſuiq; ponderis vel maioris ſeruato, talemque illico parato aquam: Romanum chalcantum, cum duplo rubei, cyprij chalcanthi ſtillatitij, quod vocant coparoſam, & optima ſit, nam hinc omne dependet: ſic ſalnitri triplo, æruginis parte tertia, ac cinnabaris

baris ſexta, & vitreis organis aquam ſtillatim exugito, cuius partes duæ cum ſeruato argento per naturalem diem lento igni bulliant, inde aucto deſtillationis igne, aqua omnis euaporet, & quod in fundo remanet, cum chryſocollæ calce teſtaceo in vaſe fulorio accommodetur, ore operto, & luto obſtructo, colliquationis ignem adhibeto, & habebis: luteſcit enim argentum, maxime colore nunquam carituru, vel eum permutaturum, vt examinibus omnibus auri expoſitum, coloris parum, vel nil amittat.

Sic aliter colorem auri æmulabitur perfecte, & peculioſe: Meminiſſe iam debes è ſtibio confecti æris vſti, id cum argenti medietate colliquatum, perfectum auri dabit colorem, vt videri poſſit. Si auro commiſces, meliorem dabit, vt aliquorum patiatur examen.

Aliter

Aliter quoq; fit optime. Si argenti viui congelationem, quam cum caſſide diximus, tertiæ argenti parti remiſcebis,argentum aureo colore inſignitum reperies , cum æquali auri portione colliquabis,in ollam impones,& per aere acetum fundas,ac per diei quadrantē ebullire ſinas, & colore augebitur magis, hoc autem extremo impones auri examini, ex cōmuni ſcilicet ſale, & laterum puluere, àddito tamen chalcantho , aurumq; ſic purgatum accipies, & examinibus obſtat omnibus, ac non ſolum in ſecundum,ſed in tertium migrat ordinem.

De medicinis tertij ordinis.

Iam tertij ordinis medicinas aggredi oportunū fuerit: ſiquidem ſcio multum animos ab huiuſmodi lectione detinuiſſe, cum à libri initio nil aliud concupierint, ſic pecuniæ lucus irrepit. Nunc profundiora naturæ

turæ myſteria panduntur, apud eos tamen, qui nummos exoptant, ſi fere aliquis eſt, qui eos non depereat. Et ſi alias ab antiquis tertij ordinis medicinas tradidimus, cum nobis non ſit eorum copia, in aliud rempus fortaſſe differre cenſuimus. Multi ſunt, qui multa periclitauere experimenta: quorum ea, quæ lucroſiora & expeditiora ſunt, trademus. Et ex ijs primo

Cinnabarim fixum reddere.

Qui id facere quæſierit, ita faciundum eſſe cenſeo: Cinnabaris confractæ partes ad magnitudinem iuglandium vitreo in vaſe capacitatis eiuſdem argenti pondere iam triplicato, vel maiori diſſeminatas condito, & viciſſim inſparſas, luto munias, & reſiccari ſinito, ſin minus in Solem, vt repetas oportebit, inde cinerib. immerſum tandiu lento igni decoquas, quouſq; infractum plumbeo colore liueſcit,

liueſcit, quod ſi nec quidem, iugem operam impendas, dum ad id peruenerit: inde plumbi duplo eluas, ac elotum examinib. omnibus expoſitũ, pertinacius obſtabit, maioris ponderis & virtutis: & quo leuiori vteris igne, tanto facilius res peragetur.

Sic vero animatur argentum & amiſſum reſarcietur: Sublimato viuo argento ex aceto, diſtillato bulliat, inde viuum argentum remiſcebis, & vitreo recuruo vaſe viuum argentum in ignem inferuefacto deuolet, & in receptaculum dilabatur, & ſeruetur: ponderis (ſi ſapis) parum amiſiſſe comperies.

Aliter ſic, & citius, & lucroſius facies: Infractas cinnaberis partes ad teſſerarum magnitudinẽ in oblongum linteum ſacculum accommodabis, ollæ lateribus vndique diſtantem, inde lixiuium per acerrimum fundat ex alumine, tartari duplo, viuæ cal-

uæ calcis quadruplo,& cineris roboris æquali portione confectum, vti fieri ſolet, vel ratione aliqua parandum: per diem ebullire ſinas,exime, & ebulliat cum oleo, iugem operam impendas, & integram cum nocte diem ſinito quoq; illic eſſe, & exemptas ex oleo cinnabaris partes, oui albumine ſubacto perlinito, ac in tertia parte elimatę argenti ſcobis reuoluto,in fundo apti vaſis ſubſternito, rite figularia creta munitum, vt diximus, ignẽ adhibe diebus tribus, & tam poſtremo augeſcat, vt igni cedat,& fere liqueſcat, detrahe, & ex fæcibus extremo argenti examine perluito,& ad verum,& naturale deducito.

Sic & aliter fixum reddere poſſumus: Si teſtaceo in vaſe rotundo vndique clauſo, vbi exili ſpiramento cinnabarim immiſeris, glutino ex oui albore parato illinas, ne vis ignis

carbun-

carbunculet, igni accõmodato, paulatim vigorando, vel lignorum ſerratura, quouſque eundem contraxiſſe colorem cernes: ne feſtines, opus enim omne corrumpit, & ſæpe à Philoſophis præceptum noſces: ſed hoc miniſterium quęrit maius. Nec aliter inutiliter fixum redditur, vſto ære inſparſo fictili in olla, prius tamen chalcantho diſſeminato, & calce expleta pertinaci muniatur luto, & triduo vitriariorum fornaci relinquatur, detrahe, & argentum æs retinebit, ſi recte hæc animaduertes, non parum nanciſceris lucri: omnibus enim anteſtat, qui tali parantur arte, facultate & fructu: nec pauca dixiſſe pœniteat. Id autem ingenioſorum reperit diligentia, vnius pharmacopolæ exemplo, qui cum cinnabarim conficere quæreret, in argentum caſu optime verſum inuenit. Vtilius fixum redditur, ſi cinnaberis arte conficitur,

ficitur, ſulphure non tam aduſtibili, ac maiori parte.

Erit quoque voluptuoſum, ſi cui placuerit, è fixo cinnabari argenteam barbam elicere: Si vaſe eodem accommodabis, igne ſolum inferius lente admoto argentum adhuc ſpirituoſum, nec plumbum expertum, vti ſylua erectum cernes capillamentum, vt nil fuerit viſu iucundius. Quæritur & apud Chymiſtas, non cinnabarim ſolum fixum reddere, ſed

Aurum ex argento extrahere.

Nec tam parum, quin ſumptibus reficiens, multum non ſuperlucreris, hæc eſt eius conficiendi norma: Tenuis elimata ferri ſcops in fuſorium vas, & durum igni tamdiu incandeſcat, dum ſoluatur: inde factitiam chryſocollam, qua auri ferrumini vtuntur aurifices, & rubeum arſenicum paulatim inſpargito, & poſtquam

dum omne perficiatur, fic in prælotum fictile dimittatur cum fontana aqua detractis, quod peſſum ierant ſordibus, in eandem fideliam miſceto, & cõfundito, donec lotum, & clarum habeas, ſub dio tribus noctibus apponito, & in teſtæ duritiem craſſeſcit. Illud autem

Argentum viuum congelatum in aurum tingere

Si vis, & pulchre: Infractis particulatim partibus, cum cadmiæ terræ puluerib⁹ alternis fuſorium vas, & teſtaceum compleas, quibus mixtura mediet, è ſchidijs, & paſſis vuis, & cyperi radice indica illa, quam officinæ curcumam dicunt, contuſis, & inuolutis: expletum vas luto circũlinies, & Soli exiccabis, vel igni, vt Solis vicem penſet, fic igni appones, vt ferueat horis ſex, & incandeſcat, inde vi follium profletur, & maxime vexetur, vt fluxum faciat, & vbi fluxe-

fluxerit, frigeſcat carbonibus tumulatum, ſic aurum coloratum, & ſplendidiſſimum reperies. Et aliter

Argentum viuum cum aneis pilis

Fixum reddere poſſumus, & congelare: Aerea duo hemiſphęria fabricemus, vt ſe inuicem penetrent, ne expirare poſſint: intus viuum argentum cum cryſtallini arſenici æquali portione, & tartari rite contuſorum & cribro ſuccretorum immittantur, luto foras commiſſuræ perlinantur, ne reſpirent: ſic reſiccęſcant, & carbonibus exaggerabis: & cbrues quarta diei parte, poſtremo incandeſcat totum, inde extrahes, & aperias, & totum ænei vaſis concauo coalitum inhæreſcere videbis, malleo percuſſum decidet, liquato, & proijcito, & optimum dabit argenti colorem difficileq; ab eo ſecernitur. Si æri immiſcere placet, cũ eliquato æris triplo immiſceas, & ſine argẽ o

optimum ostendet album, dulce, & malleabile.

Vel aliter: Fictili ollæ æneum operculum imponatur, ac accenso igne mire vivum argentum in operculo congestum reperies, & mirabilius congelabitur: alii & ferro, chalybe, argento, ac denique auro conficiunt, diuersisque vtuntur modis, in aliquibus vtile fuerit scisse, nec meminisse obfuerit. Fit &

Argenti viui congelatio cum oleo

Alia, & sic factitatam à multis reperio, retinet tamen aliquid, & ingeniosa est valde: Ex argento, rubro arsenico, & aurichalco vas efformetur in sciphi speciem, quod rite operculum cooperiat, ne respiret, viuo argento reple, & iuncturæ luto muniãtur aliquo, oui albumine, vel resina pini, vt fit, & in ollam suspendatur, lini oleo plenam, & naturalis diei medietate sinas ebullire, extrahe, & ex-

& exemptum curio, vel ſtramine exprimito, & ſi quid incongelatum fuerit, opus iterato, & coagulari cogito. Si vas tarde coagularet, quantum ponderis amiſiſſe vides, ex aurichalcho, & arſenico rependas, è pondere enim dignoſcere non poſſumus, & vtere. Iam poſcit ordo fixationes aliquas apponere, cũ ſemper coagulationibus ſubſequantur, quæ plus aliquando, minusue retinent partium. Vnde

Argenti viui coagulati fixatio.

Hæc ſic procedit, nec abſque ratione: Teſtaceum vas, quod igni reſiſtat, parato, cuius fundo ſambuci radicum raſuram ſubſternas, manibus calcando & accommodando, aliud deinde ſternito pauimentũ è cryſtallino vitro, pila tuſo, & per incerniculum traiecto & ſubtiliſſimo: inde piperis, zinziberis, & cinnãmomi aliud, malagma illud, vel congelatum

latum argentum viuum imponas, inde vas reple pulueribus eisdem ordine præpostero, operculum imponito, ac luto munito, solique interdiu credendum: vt ad candorem reducatur. Sic vas inuertas, & leuib. subiectis prunis supra primum incandescat, per horam, inferius postea & colliquetur, & purum reperies argẽtum: si quid remanet alienum, omne non congelatum euolat, & ex omnibus, quas videre contingit, & experiri, fœliciſſima hæc succeſſit, omnib. vti poteris: vel in corpus illud fixat, quo fuerit congelatum.

Est & alia argenti viui fixatio, non vtilitate inferior, & vti poteris, si placuerit: Salnitrum & tartarum triturẽtur, & in pollinem redigantur: igne intus admoto, flammã erigens, comburitur, remanens in aquam vertatur, & leui flamma euolet humidum, & sal remanens cum chrysocollæ factitiæ

ctitiæ combustæ (comburitur enim vt albumen) triplo permiſceatur, ſalis achali duplo, hoc congelatum inuolue vaſe duro, ignis ſupra admoueatur, inde circum, tandem inferius ſenis quibusue horis, & partes retinet congelati aliquas.

De medicinis ſecundi ordinis.

Dicemus nunc medij ordinis medicinas, illæ enim nobis dicuntur, quæ ſuper diminuta aliqua proiectæ corpora, alterant ſic corpus, vt parum ab omni abſint complemento, minimisq; diuerſificantur differentiis, nec vltimis expoſitæ obſtant examinibus, ſic primi ordinis medicinas ſuperantes, vt à maioris ordinis medicinis ſuperantur, parumq; deficit, vt ad eas tranſeant. Sed quia difficillimæ ſunt, & difficulter reperiuntur, nos pauculas probauimus, & appoſuimus. Et primo

baris sexta, & vitreis organis aquam stillatim exugito, cuius partes duæ cum setuato argento per naturalem diem lento igni bulliant, inde aucto destillationis igne, aqua omnis euaporet, & quod in fundo remanet, cum chrysocollæ calce testaceo in vase fulorio accommodetur, ore operto, & luto obstructo, colliquationis ignem adhibeto, & habebis: lutescit enim argentum, maxime colore nunquam carituru, vel eum permutaturum, vt examinibus omnibus auri expositum, coloris parum, vel nil amittat.

Sic aliter colorem auri æmulabitur perfecte, & peculiose: Meminisse iam debes è stibio confecti æris vsti, id cum argenti medietate colliquatum, perfectum auri dabit colorem, vt videri possit. Si auro commisces, meliorem dabit, vt aliquorum patiatur examen.

Aliter

Aliter quoq; fit optime. Si argenti viui congelationem, quam cum caſſide diximus, tertiæ argenti parti remiſcebis, argentum aureo colore inſignitum reperies, cum æquali auri portione colliquabis, in ollam impones, & per acre acetum fundas, ac per dici quadrantē ebullire ſinas, & colore augebitur magis, hoc autem extremo impones auri examini, ex cōmuni ſcilicet ſale, & laterum puluere, àdditō tamen chalcantho, aurumq; ſic purgatum accipies, & examinibus obſtat omnibus, ac non ſolum in ſecundum, ſed in tertium migrat ordinem.

De medicinis tertij ordinis.

IAm tertij ordinis medicinas aggredi oportunū fuerit: ſiquidem ſcio multum animos ab huiuſmodi lectione detinuiſſe, cum à libri initio nil aliud concupierint, ſic pecuniæ luxus irrepit. Nunc profundiora naturæ

turæ myſteria panduntur, apud eos tamen, qui nummos exoptant, ſi fere aliquis eſt, qui eos non depereat. Et ſi alias ab antiquis tertij ordinis medicinas tradidimus, cum nobis non ſit eorum copia, in aliud rempus fortaſſe differre cenſuimus. Multi ſunt, qui multa periclitauere experimenta: quorum ea, quæ lucroſiora & expeditiora ſunt, trademus. Et ex ijs primo

Cinnabarim fixum reddere.

Qui id facere quæſierit, ita faciundum eſſe cenſeo: Cinnabaris confractæ partes ad magnitudinem iuglandium vitreo in vaſe capacitatis eiuſdem argenti pondere iam triplicato, vel maiori diſſeminatas condito, & viciſſim inſparſas, luto munias, & reſiccari ſinito, ſin minus in Solem, vt repetas oportebit, inde cinerib. immerſum tandiu lento igni decoquas, quouſq; infractum plumbeo colore

liueſcit,

lineſcit, quod ſi nec quidem, iugem operam impendas, dum ad id peruenerit: inde plumbi duplo eluas, ac elotum examinib. omnibus expoſitū, pertinacius obſtabit, maioris ponderis & virtutis: & quo leuiori veteris igne, tanto facilius res peragetur.

Sic vero animatur argentum & amiſſum reſarcietur: Sublimato viuo argento ex aceto, diſtillato bulliat, inde viuum argentum remiſcebis, & vitreo recuruo vaſe viuum argentum in ignem inferuefacto deuolet, & in receptaculum dilabatur, & ſeruetur: ponderis (ſi ſapis) parum amiſiſſe comperies.

Aliter ſic, & citius, & lucroſius facies: Infractas cinnaberis partes ad teſſerarum magnitudinē in oblongum linteum ſacculum accommodabis, ollæ lateribus vndique diſtantem, inde lixiuium per acerrimum fundat ex alumine, tartari duplo, viuæ cal-

uæ calcis quadruplo,& cineris roboris æquali portione confectum, vti fieri ſolet, vel ratione aliqua parandum: per diem ebullire ſinas,exime, & ebulliat cum oleo, iugem operam impendas, & integram cum nocte diem ſinito quoq; illic eſſe, & exemptas ex oleo cinnabaris partes, oui albumine ſubacto perlinito, ac in tertia parte elimarę argenti ſcobis reuoluto,in fundo apti vaſis ſubſterni-to, rite figularia creta munitum, vt diximus, ignẽ adhibe diebus tribus, & tam poſtremo augeſcat, vt igni cedat,& fere liqueſcat, detrahe, & ex fæcibus extremo argenti examine perluito,& ad verum,& naturale deducito.

Sic & aliter fixum reddere poſſumus: Si teſtaceo in vaſe rotundo vndique clauſo, vbi exili ſpiramento cinnabarim immiſeris, glutino ex oui albore parato illinas, ne vis ignis carbun-

carbunculet, igni accómodato, paulatim vigorando, vel lignorum ſerratura, quouſque eundem contraxiſſe colorem cernes: ne feſtines, opus enim omne corrumpit, & ſæpe à Philoſophis præceptum noſces: ſed hoc miniſterium quęrit maius. Nec aliter inutiliter fixum redditur, vſto ære inſparſo fictili in olla, prius tamen chalcantho diſſeminato, & calce expleta pertinaci muniatur luto, & triduo vitriariorum fornaci relinquatur, detrahe, & argentum æs retinebit, ſi recte hæc animaduertes, non parum nanciſceris lucri: omnibus enim anteſtat, qui tali parantur arte, facultate & fructu: nec pauca dixiſſe pœniteat. Id autem ingenioſorum reperit diligentia, vnius pharmacopolæ exemplo, qui cum cinnabarim conficere quæreret, in argentum caſu optime verſum inuenit. Vtilius fixum redditur, ſi cinnaberis arte conficitur,

Digitized by Google

ficitur, ſulphure non tam aduſtibili, ac maiori parte.

Erit quoque voluptuoſum, ſi cui placuerit, è fixo cinnabari argenteam barbam elicere: Si vaſe eodem accommodabis, igne ſolum inferius lente admoto argentum adhuc ſpirituoſum, nec plumbum expertum, vti ſylua erectum cernes capillamentum, vt nil fuerit viſu iucundius. Quæritur & apud Chymiſtas, non cinnabarim ſolum fixum reddere, ſed

Aurum ex argento extrahere.

Nec tam parum, quin ſumptibus reficiens, multum non ſuperlucreris, hæc eſt eius conficiendi norma: Tenuis elimata ferri ſcops in fuſorium vas, & durum igni tamdiu incandeſcat, dum ſoluatur: inde factitiam chryſocollam, qua auri ferrumini vtuntur aurifices, & rubeum arſenicum paulatim inſpargito, & poſtquam

quam inſperſeris, æquali argenti pondere iniecto, exquiſite purgetur, vaſe è cineribus parato & forti, iam excluſis ſordibus omnibus auri in ſeparationis aquam immergito, & aurum deorſum vaſis fundo procumbit, colliges, nec veridicum magis è multis, & peculioſum, & laborioſum reperimus, laboribus ne parcito, & rite miniſtrato, ne tempus & oleum teras.

De Phœbi & Pythonis pugna.

Remoueatur ſuo loco ingentis corporis Python, faciei horridæ, rutilis criſtulis, maximoque veneno minax, latiori aculeorum acerno ſtipatus: ex omnibus acrior, quæ mater tellus producit, multumque loci conducit ſitus: vt hinc omne dependeat. Hic tabidi vi aeris, vipera virulentior, eminus duros infigit ictus: cum inimicum abſorbuerit, cæco demergatur antro, vbi primum

mum obmutuerit, ne surgentis vi vaporis, strangulantemque halitum eructans, astantes interimat, vnde conducit veficis caput obulent, si fuerit quoque tutum, sed tutius erit militantes relinquantur: sic Phœbus suis paulatim confodiens sagittis, ingentem sternat Pythona, & sic in fine percutiet, vt exhausta sit pharetra, venenumque effusum, nec cœli desit clementia, sed longa imbrium procella sæuientem compescat, humoremq, cupitum ipse hauriat, multaque humiditate intereuntem, detineat: sic Phœbi, Pythonisque, per diei quadrantem immoretur bellum, vel plusculum, quod nil referre arbitror, dummodo victoriam referat: sic populatis visceribus, prostrato hoste, exhausto exinanitoque veneno, ita Phœbi cesset, & si amplius reuiuiscit, aditus vitam repullulandi resecetur, & tantum

tum pugnet, dum pugnando occumbat: tunc Phœbus frondibus & corollis caput redimitum, ferat insignis victoriæ præmium, nec lasciuum puerum iniuriis lacessat, & sat fecisse sciet. Neque hoc tamen me clam est, perpaucos esse, quos æquus amabit Iupiter, eisque propitiabitur, si ad clausum sensum eruendum prouehit inuestigatio, facilis tamen præ aliis, veris doctrinæ filiis patet:

semel tantum in seriis ludere placuit.

TRA-

Google

TRACTATVS DE VIRTVTIBVS HERBARVM, LAPIDVM ET ANIMALIVM:

Authore

ALBERTO MAGNO.

PARS PRIMA.

De virtutibus Herbarum.

SIcut vult Philosophus in pluribus locis: Omnis scientia de genere bonorũ est. Verumtamẽ enim operatis aliquando bona, aliquando mala, prout scientia mutatur ad bonum & ad malum finẽ, ad quem operatur, ex quo concluduntur

duntur duo. Quorum vnum & primum eſt, quod ſcientia magicalis nõ eſt mala. Namque per eius cogitationem poteſt euitari malum, & proſequi bonum. Concluditur etiam ſecundum, ex quo effectus laudatur propter finem, atque vituperatur etiam finis ſcientiæ, aliquando non ordinatur ad bonum vel ad virtutem. Ex hoc ſequitur quod ſciẽtia vel operatio aliquando bona vel mala. Quia igitur magicalis ſeu cognitio bona eſt, vt præſuppoſitum eſt, & mala aliquãtulum exiſtit in ſpeculatione rationum, & in ſpeculatione naturalium ſecundum quod antiquis auctoribus examinaui & percepi, imo & egomet Albertus, vt in pluribus veritatem inueni, & veritatem ſuppono, quo ab aliquo ex Chyrandis libro, & libro Alchorat. Primo narrabo de quibuſdam herbis. Poſt de quibuſdam lapidibus. Tertio de

qui-

Digitized by Google

quibuſdam animalibus, & de virtutibus eorundem.

Nomina quarundam Herbarum.

Elitropia.	Lilium.
Vrtica.	Viſcul° quercinus.
Virga paſtoris.	Centaurea.
Chelidonia.	Saluia.
Prouincia.	Nepta, Verbena.
Lingua canis.	Melyſophylos.
Iuſquiamus.	Roſa. Serpentina.

Prima herba apud Chaldæos vocatur *Ireos*: apud Latinos *Elitropia*. Cuius interpretatio dicitur ab Elios, quod eſt Sol: & tropos conuerſio, quia conuerſa eſt ad Solem. Huius autem virtus mirabilis eſt, quia ſi iſta colligatur ſole exiſtente in Leone in Auguſto, & inuoluatur in lauri folio, & ſimul addatur dens Lupi & feratur: nullus contra ferentem poterit habere vocem loquendi, niſi

Digitized by Google

verba pacifica. Etsi enim aliquis furetur, & in nocte sub capite suo ponat, videbit furem & omnes eius conditiones. Et iterum: si prædicta ponatur in aliquo templo, vbi sint mulieres, quarum connubium parte sui frangatur, nunquam poterunt exire de templo, nisi deponatur. Et hoc vltimum probatum est, & verissimum.

Secunda herba vocatur à Chaldæis *Roybra*, à Latino vel Gallicis *Vrtica* nuncupatur. Hanc herbam tenens in manu cum millefolio, securus est ab omni metu, & ab omni phantasmate. Et si id ponatur cum succo semperuiuæ, & vngatur manus & residuum ponatur in aqua, & aquam intret, vbi sunt pisces, ad manus eius congregabuntur, & etiam ad piscellum. Et si extrahatur statim resiliunt ad loca propria, vbi erant prius.

Tertia

Tertia herba à Chaldæis *Lorumborat* dicitur, & à Latinis *virga Paſtoris*: Herbam hanc accipe, & cum ſucco mandragoræ diſtempera, & da cani vel alteri animali, & impræ gnabitur in ſuo genere, & habebit fœtum in ſuo genere. De quo fœtu, ſi accipiatur dens maxillaris, & intingatur in cibo vel potu, omnes qui inde potabunt, mox incipient bellum, & cum volueris delere, da eis ſuccum amantilæ, id eſt, valeriæ, & fiet ſtatim pax inter eos.

Quarta herba à Chaldæis *Aquilaris* dicitur, quia naſcitur tempore, quo aquilæ faciunt nidos ſuos, à Latinis *Chelidonia*. Iſta herba tempore, quo hirundines faciunt nidos, naſcitur, quo etiam aquilæ. Hanc herbam, ſi quis cum corde talpæ habuerit, deuincit omnes hoſtes, omnes cauſas, & omnes lites remouebit. Et ſi prædicta ponatur ſuper

caput infirmi, si debet mori, statim cantabit alta voce, si non, lachrymabit.

Quinta herba à Chaldæis *Iterisi* dicitur, à Latinis *Prouentalis* vel *prouisa*: illa enim puluerisata cum vermibus terræ circumuolutis, & cum semperuiuæ amorem inducit inter virum & vxorem si vtantur illo in cibariis. Et si compositio istorum cum aliquantulo sulphuris ponatur in stagno vbi sunt pisces, omnes morientur. Et si ad os bubali ponatur, statim crepabit per medium, & hoc experimentum est à modernis. Si iterum dicta confectio ponatur in igne, statim conuerteretur in liuidum colorem.

Sexta herba à Chaldæis vocatur *Bieith*, à Latinis *Nepta*. Hanc herbam accipe, & misce cum lapide inuento in nido vpupæ auis, & frices ventrem alicuius animalis, & impregnabitur,

gnabitur, & habebit fœtum in ſuo genere nigerrimum. Et ſi eis ponatur ad nares, ſtatim à terra cadent velut mortua, poſt modicum vero ſpacium curabuntur, & ſi prædictum compoſitum in vaſe apum ponatur, nunquam fugient, ſed ibi congregabuntur apes. Et ſi apes ſubmergentur, & quaſi moriantur, & in confectione prædicta ponantur poſt modicum temporis, vt per ſpacium vnius horæ, recuperabunt vitam. Nam & illud proportionatur qualitati deperditæ & ſignum ad hoc eſt, **quod muſcæ ſubmerſæ in cineribus tepidis ponantur, poſt modicum** ſpacium vitam recuperabunt.

Septima herba à Chaldæis *Algeil*, à Latinis *Linguæ canis* nuncupatur. Herbam hanc cum corde raniculæ & eius matrice, pone vbi vis, poſt modicum temporis congregabuntur omnes canes villæ. Et ſi prædi-

ctam ſub pollice pedis habueris, omnes canes obmuteſcent, nec poterunt latrare: Et ſi prædictam in collo alicuius canis poſueris, ita quod non poſſit ore attingere, ſemper vertetur in circuitu ad modum volubilis rotæ, donec cadet in terram velut mortuus, & hoc expertum noſtro tempore.

Octaua herba à Chaldæis *Manſeſa*, à Latinis vel Gallicis *Iuſquiamus* dicitur. Hanc herbam accipe & miſce cum Realgalis & Hermodatalis, & pone in cibo canis rabidi, & ſtatim peribit: & ſi ſuccum eius cum ſupradictis poſueris in ſcypho argenteo minutiſſime frangetur, & ſi ſupradictum cum ſanguine leporis iuuenis commiſcueris, & in pelle leporis conſerues, omnes lepores congregabuntur ibidem, donec remotum fuerit.

Nona herba à Chaldæis *Augo*, à Latinis

Latinis *Lilium*. Si hanc herbam sole existente in Leonis signo colabis, & cum lauri succo commiscueris, deinde sub fimo tempore aliquo succum illum posueris, fient vermes. De quibus si fiat puluis, & ponatur circa collum alicuius, vel in vestimentis suis, nunquam dormiet, vel dormire poterit, quousque depositum fuerit. Et si prædictum sub fimo posueris, & de vermibus inde nascentibus aliquem finxeris, statim inducetur ad febrem. Et si prædictum ponatur in vase aliquo, vbi sit lac vaccæ, & cooperiatur de pelle alicuius vaccæ vnius coloris, omnes vaccæ amittent lac suum, & hoc maxime expertum est tempore nostro à quibusdam fortilatoribus.

Decima herba à Chaldæis dicitur *Luperax*, à Latinis *Viscus querci*, & crescit in arboribus transforato arbore. Hæc herba cum quadam alia herba,

quæ dicitur Martegon, id est, syl-uium, vt scribitur lingua Teuthonica omnes seras aperit: & si prædictum compositum in ore alicuius ponatur, & cogitetur de aliquo, si debet accidere, corde infigitur, si autem non, corde resilit. Sed si prædictum ad arborem suspendatur cum ala hirundinis, ibi congregabuntur aues bene per quinque miliaria, & hoc vltimum tempore meo est expertum.

Vndecima herba à Chaldæis *Isphilon* dicitur, Latinis *Centaurea* vocatur. Hanc autem herbam dicunt Magi habere mirabilem virtutem. Si enim adiungatur cum sanguine vpupæ fœmellæ, & ponatur cum oleo in lucerna, omnes circumstantes credent se esse Magos, ita quod vnus altero credet suum caput sit in terra, & pedes in cœlo, & si prædictum ponatur in igne stellis lucentibus,

tibus, videbitur quod ſtellæ currant ad inuicem & debellent: & ſi iterum prædictum caraplaſma ponatur ad nares alicuius præ timore quem habebit, fugiet vehementer: & hoc expertum eſt.

Duodecima herba à Chaldæis *Colorio* vel *coloricon*, à Latinis *Salsia* communiter eſt nuncupata. Hæc autem herba putrefacta ſub fimo in vaſe vitreo, procreat quendam vermem, vel auem habentem caudam in modum merulæ, de cuius ſanguine ſi tangatur aliquis in pectore, amittet ſenſum per quindenam & plus. Et ſi prædictus ſerpens comburatur, & ponatur cinis in igne, ſtatim fiet yſiris tonitrui horribilis. Et ſi prædictus puluis ponatur in lampade & accendatur, videbitur quod tota domus ſerpentibus repleatur. Et hoc eſt expertum à modernis.

Tertia decima herba à Chaldæis *Olphanas*, à Latinis *Verbena*, dicitur. Hæc autem herba, vt referunt Magi, collecta ſole exiſtente in ſigno Arietis, & conjecta cum grano Peoniæ vnius anni, caduco à malo morbo curat. Et ſi ponatur in terra pingui poſt octo ſeptimanas generabuntur vermes, qui ſi aliquem tetigerint ſtatim morietur: Et ſi prædictum ponatur in columbario aliquo, omnes columbæ congregabuntur ibi. Et ſi puluis illorum in ſole ponatur, videbitur quod ſol ſit liuidus, Si autem puluis ponatur in loco vbi homines habitant, vel iacent inter duos amantes ſtatim fit lis, vel malitia inter eos.

Quarta decima herba à Chaldæis *Celeivos* dicitur, à Latinis *Meliſophilos*, de qua Macer facit mentionem. Hæc autem herba collecta viridis, & conjecta cum ſucco cypreſſi vnius anni

anni posita in pulmento, facit pulmentum videri plenum vermibus, & deferentem facit esse benignum & gratiosum, & aduersarios deuincere. Et si prædicta herba ligetur collo bouis sequetur te quocunque ieris : & si prædicto succo corrigiam miscueris, & de tertia parte sudoris hominis ruffi, & desub ascellis statim cingens crepabit per medium.

Quintadecima herba à Chaldæis *Egleriſa*, à Latinis *Rosa* dicitur, & est herba cuius flos est notissimus. Accipe granum eius, & granum sinapis, & pedem mustelæ, hæc suspende in arbore, & de cætero non fructificabit. Et si prædictum ponatur circa rete, congregabuntur ibi pisces. Et si magaris mortuum fuerit, & in commixtione prædicta ponatur per dimidium diem, licet tamen non acquirirur, recuperabit vitam. Et si puluis prædictus

ponatur in lampade, postea accendatur, omnes videbuntur nigri ad modum Sathanæ, & puluis prædictus admisceatur cum oleo oliuæ & cum sulphure viuo & de hoc vngatur domus sole lucente, ipsa tota videbitur inflammata.

Sextadecima herba à Chaldæis *Cartulin*, à Latinis *Serpentina* vocatur. Hæc herba apud nos satis est nota. Hæc autem herba cum folio trifolij inhumata generat serpentes rubeos & virides, de quibus si fiat puluis, & ponatur in lampade ardente, videbitur ibi copia serpentum si sub capite alicuius ponatur, de cætero id non somniabitur sibi.

Modus autem operandi omnium prædictorum est, vt effectus bonus sit in planeta bono & malus in malo, id est, in horis & diebus eorum.

Virtu-

Virtutes herbarum ſeptem, ſecũdum Alexandrum Imperatorem, & has quidem virtutes, habuerunt ipſæ ab influentia ita planetarum. Contingit autem vnamquamque percipere virtutem ſuam à ſuperioribus naturalibus.

Prima autem herba *Saturni*, quæ *Aſphodilus* dicitur: Succus eius valet ad dolorem renum & tibiarum, Et datur patientib. dolorem veſicæ radix eius coĉta parum: Et dæmoniaci vel melancholici ipſam deferunt in linteo mundo, & liberantur, nec dæmonem in domo patitur eſſe, & ſi ibidem fuerint.

Producentes dentes pueri ſi eam ferant, ſine dolore eos producent, & eſt bonum vt homo deferat ſecũ de nocte radicem, quia non timebit, neque lædetur ab alijs.

Herba ſecunda *Solis* dicitũr *Poligonia* vel *Corrigiola*, Hæc enim herba nomen

nomen ſuſcepit à ſole, nam eſt multum generans. Sic enim & hæc herba eſt multos faciens modos. Hanc quidem herbam alij appellauerunt Alchone quæ eſt domus ſolis. Hæc enim herba ſanat paſſiones cordis & ſtomachi.

Qui attingit hanc herbam habet virtutem à ſigno ſuo planetæ. Si quis autem ſuccum bibit, facit eum multum coire. Et ſi quis deferat radicem eius, curat paſſiones oculorum. Etſi antequam aliquam habuerit paſſionem portauerit ſecum, non ſuperueniet ei paſſio oculorum. Iuuat etiam Phreneticos, ſi eam ſecum deferũt in locis, id eſt pectore. Iuuat etiam Peripneumaticos, & facit eis bonum anhelitum & facit etiam ad fluxum ſanguinis melancholici.

Herba tertia *Lunæ Chyneſtates* dicitur. Succus eius purgat exacerba-

tiones

tiones ſtomachi, thoracis & caſtorem: quia oſtẽdit ſe eſſe herbam Lunæ. Flos autem huius herbæ purgat ſplenes magnos & curat ipſos quia iſta creſcit & decreſcit ſicut luna. Valét ad Ophthalmiam & facit acutum viſum, & valet contra ſanguinem oculorum. Si radicem eius tritam ponis ſuper oculum, mirabiliter viſum clarificas, quia lumẽ oculorum propinquatum eſt cum ſubſtãtia Lunæ, etiam confert malum ſtomachum habentibus, qui non poſſunt cibum digerere bibendo ſuccum eius, amplius valet habentibus ſcrophulas.

Herba quarta *Arnogloſſa* dicitur. Radix huius herbæ valet contra dolorem capitis mirifice, quoniam opinatur eſſe domus Martis aries, quæ eſt caput totius mundi. Valet etiam contra malas conſuetudines teſticulorum, & vlcera putrida & ſordida, quia

quia domus eſt Scorpio: quia pars eius retinet ſperma, id eſt ſemen, quod venit contra teſticulos. Valet etiam ſuccus ei⁹ dyſentericis & homo ptoicis, & ad vitia hemorroidarum & ſtomachi dum quis eum biberit.

Herba quinta *Mercurii* dicitur *Pentaphilon*, à quibuſdam Petadactylus, ab alijs ſæpe declinantis, à quibuſdam Calipendalo. Radix huius herbæ ſanat plagas & duritiem, trita & emplaſtrata. Amplius ſcrophulas diluit velociter, ſi ſuccus eius bibatur cum aqua. Sanat etiam ſarigos & paſſiones pectoris ſeu dolores ſi ſuccus eius bibatur. Soluit etiam dentium dolores, & ſi ſuccus eius ore teneatur, omnes oris curat paſſiones. Et ſi quis ſecum deferat, opus dat & auxilium. Amplius ſi quis vult à rege vel à principe petere aliquid, copiam dat eloquentiæ ſi ſecum eam habeat, & obtinebit quod voluc-

Digitized by Google

voluerit, videlicet etiam in lithiasi & diſuria ſuccus eius habitus.

Herba ſexta *Iouis* dicitur *Acharon*, à quibuſdam *Iuſquiamus*. Radix eius poſita ſuper bubones, eos diſpergit, & obſeruat locum à phlegmone, Si quis eam portauerit antequam ei paſſio ſuperueniat, nunquam bubonem habebit. Confert etiam radix eius podagræ, dum ponitur trita ſuper locum patientis, & hæc quidem operatur virtute ſignorum habentium pedes vel habentium aſpectum ſuper pedes: & ſuccus eius ſi bibatur cum melle cum mellicrato, confert doloribus epatis, & omnibus eius paſſionibus, quoniam Iupiter tenet epar. Similiter confert volentib. multum coire, Et eſt vtilis vt ea deferant ſecum volentes diligi à mulieribus. Facit enim deferentes lætos & delectabiles.

Septima herba *Veneris* dicitur Pa-

ſteriena

ſerione, quibuſdam *Hieroboram* dicitur, id eſt, herba columbaria & verbena. Radix huius herbæ poſita ſuper collum ſanat ſcorphulas& parocidas,&bubones colli,& ſtaphilion, id eſt vrinæ diſtillationem,& yſmon ſi ponatur emplaſtrum, & eſt comparatum paſſionibus iſtius loci. Sanat etiam ſciſſuras & condylomata, id eſt, durities quæ naſcuntur in ano,& hemorroidas. Si ſuccus eius cum melle in aqua cocta bibatur, ſubtilitat ea quæ ſunt in pulmone.Et facit bonum anhelitum,nam detinet pulmonem. Valet etiam multum in affronidiſia,id eſt, coitu, quia ſuccus eius auget multum ſperma,cum quis vult coire addit ad deſiderium eius, & maior virtus ipſius herbæ eſt,quia ſi quis eam portauerit, eſt multum potens in coitu. Verumtamen non teneat aliquid aliud niſi iſtam herbam tantum, ſi quis ponat eam in domo

Digitized by Google

domo, vel vinea, vel in terris, abundanter habebit redditus. Amplius Radix ipſius valet omnibus illis qui volunt plantare vineas vel arbores & infantes portãtes ipſum erũt bene diſciplinati, & amantes doctrinã, & erunt læti, & gaudioſi. Confert etiam poſita in purgationibus, & repellit dæmones omnes.

Prædictas tamen herbas à 23. die Lunæ vſq; ad 30. incipiendo collectionem ipſam leuare à Mercurio per totam horam dierum euellendo fac mentionem paſſionis vt rei, ſcilicet nomina paſſionem vel rem propter quam ipſam colligis, & ipſam accipe herbam: loca tamen ipſam ſuper frumentum vel ordeum & ea vtere ad opus tuum poſtea.

PARS

PARS SECVNDA.

De virtutibus lapidum quorundam.

CVm iam dictum sit de virtutibus herbarũ quarundam, & de modo agendi, nunc in præsenti capitulo dicendum est de *Lapidibus* quibusdam & eorum effectibus, & qualiter possunt accipi magna mirabilia opera. Sunt autem

Magnes	*Esmundus*	*Bena*
Obtarmius	*Amatistus*	*Isthmios*
Onyx	*Berillus*	*Cabices*
Feripendamus	*Celonites*	*Crisolitus*
Silonites	*Corallus*	*Beratiden*
Topazion	*Cristallus*	*Nicomai*
Medo	*Chrysolitus*	*Quiriti*
Mephytes	*Elotropia*	*Rodianus.*
Abaston	*Epistrites*	*Lipercol.*
Adamas	*Calcedonius*	*Vrices.*
Agates	*Chelidonius*	*Lazuli.*
Alectorius	*Gagates*	*Smaragdus.*

Iris

Iris. *Echlites.* *Saphyrus.*
Baleſia. *Terpiſtretes* *Saunus.*
Galeriates. *Lachinius.*
Draconites. *Orires.*

SI vis ſcire virum mulier tua ſit caſta, accipe lapidem qui *Magnes* vocatur. Eſt autem ferruginei coloris, & inuenitur in mari Indico, & aliquando in partibus Theutoniæ, in illa prouincia, quæ Francia Orientalis vocatur. Suppone ergo lapidem hũc capiti mulieris, & ſi caſta eſt, ipſa maritum amplexabitur, ſi autem non, ſtatim cadet à lecto. Ad hoc autem ſi lapis iſte ponatur ſuper carbones in quatuor angulis domus. Dico tritus, & ſuper carbones ſparſus, dormientes fugient ædes & relinquent totum, & tunc poſſunt fures reſpicere totum quod volunt.

Si vis fieri inuiſibilis, accipe lapidem qui dicitur *Ophthalmius*, & inuolue in folio lauri, Et dicitur lapis

Ophthal-

Ophthalmius, cuius color non nominatur, nam multorum colorum: & est hic talis virtutis, quod visum circumstantium excęcat vel abortat. Constantius autē pugno clauso reddebatur per eum inuisibilis.

Si vis incitare tristitias, timores, & phantasias terribiles atq; lites, accipe lapidem qui vocatur *Onyx*, qui est nigri coloris, & inuenitur melius genus eius repletum albis venis, & venit de India in Arabiam, & si collo vel digito suspendatur, excitat statim tristitias in homine & terrores: & etiam in somno excitat phantasias terribiles, & etiam lites, & hoc apud modernos est expertum.

Si vis comburere manus alicuius, sine igne adhuc & fugare areticam. Accipe lapidem qui vocatur Feripendanus, qui est flaui coloris, qui si suspendatur collo alicuius, curat areticam: & iterum si iste lapis fortius stringatur, statim

Digitized by Google

ſtatim adurit manum, & ideo leuiter & ſuauiter vult palpari.

Si vis accendere animum alicuius ad gaudia, & eius ingenium acuere. Accipe lapidem, qui *Sylonites* vocatur & naſcitur in gremio teſtitudinis Indicæ: & eſſe varium dicetur albo rubeo, purpureoque colore. Alij dicunt hunc eſſe viridem, & in Perſiæ partibus inueniri. Et dicunt etiam hunc creſcere luna creſcente, & è conuerſo. Et addunt Philoſophi antiqui, quod ſi geſtetur, confert præſentiam quorundam futurorum. Si ſub lingua ponatur præcipue prima Luna vna hora tantū habet virtutem. Ideo autem vna exiſtente decima habet hanc virtutem, in prima hora vel decima. Motus autem ordinis, quod cum eſt ſub lingua, ſi coitur de aliquó negotio, vtrum debeat fieri an non. Si fieri debet cordi tenaciter infigitur, ita quod auelli non poteſt, ſi

autem non, cor ab ipso resiliit. Fecerunt etiã Philosophi quod curat priscos & debiles. Si vis vt aqua bulliẽs statim exeat manu immissa: Accipe lapidem, qui Topasion vocatur, à Topasi insula, vel quia auri similitudinem protendit, & sunt duę species. Vna est omnino similis auro, & pretiosior est. Alia species est crocea magis tensibilis coloris quam sit aurum, & hæc est vtilior. Expertum autẽ est in nostro tempore, quę si in aqua buliente mittatur, destruere facit, quod statim manu immissa extrahitur, & hoc fecit vnus de fratrib. nostris Parisiis. Valet etiam contra emorrhoicam, & stimaticam vel lunaticam passionem.

Si vis excoriare cutem manuum tuarum vel alterius. Accipe lapidem qui vocatur *Medor* à Medorum regione, & sunt duæ species, niger & viridis.

Dicitur

Dicitur ab antiquis Philoſophis, & modernis, quod ſi lapis qui niger eſt, frangatur, & in aqua calida reſolutus fuerit, & aliquis manus ſuas lauerit, ſtatim excortabuntur: & ſi quis ex ea biberit, perit vomendo ſtatim omni cura remota & auxilio. Dicunt etiam Philoſophi, quod valet contra podagram, & oculorum excitatem, & quod oculos læſos & debiles fouet.

Si vis vt aliquis non ſentiat dolorem, nec crucietur. Accipe lapidem qui dicitur *Mephytes*, à ciuitate quæ dicitur Mephis: & eſt hic lapis talis virtutis, ſvt dicit Aaron & Hermes, quod ſi teratur, & aqua miſceatur, & detur potari illi qui deberet vri vel aliquos cruciatus pati, tantam inducit ille potus inſenſibilitatem, quod non ſentiat patiens pœnam neque cruciatum.

Digitized by Google

Si vis ignem perpetuum inextinguibilem facere, accipe lapidem, qui *Abaſton* dicitur, & eſt coloris ferrei, & quamplurimum in Arabia reperitur. Si enim lapis ille accendatur nunquam poterit extingui, eo quod habet naturam ſanguinis, quæ pluma Salamandris vocatur, cum modico humidi vnctuoſi pinguis, inſeparabilis eſt ab ipſo, & id fouet ignem accenſiuum in eo.

Si vis deuincere hoſtes. Accipe lapidem, qui nuncupatur *Adamas*, & eſt coloris fulgentis duriſſimus, ita quod non poteſt frangi niſi ſanguine hirci, & naſcitur in Arabia vel Cypro. Et ſi ſiniſtro latere alligetur, valet contra hoſtes, & inſaniam, & indomitas beſtias, & venenoſas, & feros homines & contra iurgia & rixas, & contra venena, & incurſus phantaſmatum, & quidam vocant eum Dyamantem.

Si vis

Si vis cuncta pericula euitare, & vincere cuncta terrena, & habere vires cordis. Accipe lapidem qui *Agates* dicitur. Et est niger habens venas albas & alius eiusdem speciei similis colori albo. Et tertius nascitur in Creta insula habens venas nigras. Et is facit vincere pericula, & confert vires cordibus, & facit hominem potentem placentem, iucundum, acceptabilem, & iuuat contra omnia aduersa.

Si vis impetrare aliquid ab aliquo. Accipe lapidem qui *Allectorius* dicitur & est lapis gallinacei vel galli, & est albus vt Cristallus, & extrahitur de ventriculo galli vel gallinacei, postquam fuerit craſtratus vltra annum quartum. Et vt quidam dicunt post annum extrahitur de gallo decrepito. Et ad quantitatem fabæ extat, ferentem gratum reddit & constantē: & sub lingua acceptum sitim extin-

guit, & hoc vltimum tempore noſtro expertum eſt, & ſubtiliter percepi.

Si vis deuincere beſtias, & omnia ſomnia interpretari, & de futuris prophetizare. Accipe lapidem qui *Eſmundus* dicitur vel aſmadus, varij coloris eſt: omne venenum extinguit, & facit vincere aduerſarios, & prophetizationem dat, interpretationem omnium ſomniorum & ænigmata intelligere facit.

Si vis habere bonum intellectum ſenſibilis, & non poſſe fieri ebrius. Accipe lapidem qui *amethiſtus* dicitur, & eſt purpurei coloris & melior naſcitur in India, & valet contra ebrietatem & bonum in ſcibilibus confert intellectum.

Si vis deuincere hoſtes, & fugere lites. Accipe lapidem, qui vocatur *Berillus*, eſt pallidi coloris, lucis tranſparentis, vt lymphæ. Fer tecum & vinces omnes

omnes lites, & hostes fugabis, reddetque inimicum mitem. In moribus efficacem reddit potestatem sicut dicit Aaron, etiam dat bonum intellectum in scibilibus.

Si vis diuinare de futuris. Accipe lapidem qui vocatur *Celonytes*, & est purpurei variiq; coloris, & inuenitur in corpore testudinis. Si quis autem hunc lapidem sub lingua gestauerit, diuinabit & prædicet futura. Verumtamen non habet virtutem, nisi lucens prima cum fuerit accensa, & crescens monoytes in vltima descendente. Sic vult Aaron de virtutibus lapidum & herbarum.

Si vis pacificare tempestates & flumina pertransire. Accipe lapidem qui vocatur *Corallus*, & est rubeus, aliusq; albus. Et expertum est, quod statim restringit sanguinem, & portantis pellit stultitiam, & perhibet sapientiam, & hoc à quibusdam tempore

noſtro expertum eſt & valet contra tempeſtates, & pericula fluuiorum.

Si vis accendere ignem. Accipe *Cryſtallum*, & pone ſub iuxta circulum ſolis id eſt, contra ſolem, & appone iuxta aliquid combuſtibile, & ſtatim lucente ſole calido eliciet ignem, & ſi cum melle ponatur lac dabit.

Si vis acquirere ſapientiam, & fugare ſtultitiam. Accipe lapidem qui vocatur *Chryſolitus*, & eſt lucidę viriditatis, poſitus in auro pellit ſtultitiam & ſapientiam confert.

Si vis vt Sol appareat ſanguineus. Accipe lapidem qui *Elitropia* dicitur eſt viridis ſimilis quaſi Smaragdo, & eſt reſperſus ſanguineis guttis. Hanc elitropiam appellant nigromantici proprio nomine gemma Babylonicam, quod ſi vnguatur ſucco herbæ eiuſdem nominis, & in vas plenum aqua mittatur, facit videri ſolem ſangui-

guineum ſicut ſi videretur eclipſis. Cuius cauſa eſt quod totam aquam ebullire facit in nebulam, quę inſpiſſando aerem impedit ſolem inde niſi quia rubeum in ſpiſſo colore, poſt modicum recidit illa nebula rorãdo quaſi per guttas pluuiæ. Oportet autem ad hoc vt fiat quod ſit quoddã carmen ſacrũ cum quibusdam characteribus, & ſicut accepti principes, ſic diuinando quædam prædicant propter templorum pontifices iſto lapide maxime vtebantur in feſtis idolorum. Etiam geſtatũ hoc reddit hominem bonæ famæ, & incolumẽ, & longæ vitæ. Dicitur autem à philoſóphis antiquis quod vnctus herba ſui nominis, vt prædixim⁹ pollet virtute: & inueniuntur plures in Æthiopia, Cypro & India.

Si vis refrigerare aquam bulliẽtem quæ ſtat ſuper ignem Accipe lapidem qui *Epiſtretes* dicitur, qui in aqua appoſitus

oculo radios solis igneos emittit: & dicitur ab antiquis Philoso. & à modernis, quod si ponatur in aqua bulliente, statim cessabit ebullitio: & post modicum refrigescet, & est lapis rutilans & rubicundus.

Si vis fugere illusiones omnesque phantasias, & omnes causas vincere. Accipe lapidem qui *Calcedonius* dicitur, & est pallidus, fuscus & aliquantulum obscurus. Si hic perforatur, & cum virtute lapidis, qui Sinerip dicitur collo suspendatur, valet contra omnes phantasticas illusiones. Et facit vincere omnes causas contra aduersarios vtriusque corporis conseruat, & hoc vltimum & apertum est moderno tempore.

Si vis esse gratus & placens. Accipe lapidem qui *Chelidonius* dicitur. Et est niger & rufus, & de ventre hirundinum extrahitur. Rufus inuolutus panno lineo vel corio vituli sub sini-

stra

ſtra aſcella portatus valet contra inſaniam & antiquos morbos & languores, contra litargiricam paſſionem & contra epidimiam. Euax refert quod iſte lapis hominẽ facit facundum & gratum, & placentem eũ reddit. Niger autem valet contra feras, & iras, & ad finem incepti perducit negotij. Et ſi inuoluitur in foliis chelidoniæ dicitur obfuſcare viſum, & debent extrahi menſe Auguſti, & frequenter duo in vna hirundine inueniuntur lapides.

Si vis eſſe victorioſus cõtra aduerſarios. Accipe lapidem qui dicitur *Gagates*, & eſt diuerſi coloris, & dicunt antiqui Philoſophi fore expertum in Alcide principe, qui quandiu eum portauerit ſemper habuit victoriam, & eſt lapis diuerſi coloris ſicut pellis capreolæ.

Si vis præſcire futurum aliquod. Accipe lapidem qui vocatur *Bena*, qui eſt

ſicut dens à beſtia, & pone ſub lingua tua, & ſicut Aaron & antiqui philoſ. dicunt, quamdiu ſic tenueris ſemper diuinando prædices futura, nec aliquo modo errabis diuinando.

Si vis vt fiat veſtis incombuſtibilis. Accipe lapidem qui *Hiſtmos* appellatur, qui vt dicit Iſidorus, ſimilis eſt croco, & in partibus Hiſpaniæ inuenitur, & iſte lapis flabilis eſt propter ventoſitatem in ipſo rarefactam iuxta Gades Herculis, & ſi de eo fit veſtis, nullo modo poteſt vri, ſed deigne nitet. Et huius ſpeciei dicunt quidam Carbunculum album.

Si vis gratiam habere & honorem. Accipe lapidem qui *Tabrices* vocatur, & eſt ſimilis Criſtallo, de hoc referunt antiqui philoſophi vt Euax & Aaron quod præſtat eloquentiam, gratiam, & honorē, ac cum hoc dicitur, quod curat omnem hydropiſin.

Si vis fugare phantaſmata & ſtultitiam

Digitized by Google

am. Accipe lapidem qui vocatur Cry-solitus, & est idem in virtute cum Aretico, vt dicit Aaron ac Euax in *libr. de natur. herbarum & lapidum.* In auro positus ac gestatus fugat stultitiam & phantasmata expellit. Sapientiam conferre perhibetur, valet contra timorem.

Si vis iudicare opiniones & cogitationes aliorum, Accipe lapidem qui vocatur *Geratides* & est nigri coloris, & teneatur in ore. Facit etiam gestantem hilarem & gratiosum apud omnes.

Si vis habere victoriam & amicitiam. Accipe lapidem qui vocatur *Nichomat*, & est idem quod Alabastrum, & est de genere marmorum, & est albus nitens. Et de hoc fiunt vnguenta ad sepulchra mortuorum.

Si vis vt homo dormiendo tibi dicat quæ facit. Accipe lapidem qui vocatur

Digitized by Google

Quirim, inuenitur lapis iſte in nido vpupæ, & eſt lapis proditorum.

Si volueris aliquid ab aliquo impetrare. Accipe tecũ lapidem qui vocatur *Radianus* & eſt niger translucens, qui cũ caput gallorum datur comedere formicis, inuenitur poſt tempora multa in capite galli, & eſt idem quod lapis Tonatides.

Si vis facere quod canes neq; venatores poſſunt nocere alicui animali quod venãtur. Pone coram ipſis lapidẽ qui vocatur *Iuperius*, & ſtatim id ad lapidem curret. Hic enim lapis inuenitur in Lybia, & omnes beſtię currunt ad iſtum lapidem tanquam ad ſuum defenſorem. Prohibet enim ne canes vel venatores noceant eis.

Si vis comburere manus alicuius ſine igne. Accipe lapidem qui vocatur *Vnices*, quem prius diximus principem Apij, quod eſt ignis, & eſt vt ignis.

Hunc lapidem, ſi quis ſtringit fortiter,

titer ſtatim adurit manum velut cõburat igne martiali, quod eſt mirabile.

Si vis curare melancholiam, vel quartanam in aliquo. Accipe lapidem qui dicitur *lapis lazuli*, ſimulatur .n. colori cœleſti, & ſunt intus corpuſcula aurea, & eſt certum & expertum, quod curat melancholiam & quartanam.

Si vis acuere alicuius ingenium, vel opes augere ſuas, & etiam futura prædicere. Accipe lapidẽ qui *Smaragdus* dicitur, & eſt mundiſſimus translucens, & planus vel flauus eſt melior, & aufertur de nidis Grifonum, & confortat & conſeruat. Et geſtatus facit hominem bene intelligere, & memoriam bonam confert. Auget opes deferentis. Et ſi quis ſub lingua ſua eum tenuerit, ſtatim prophetizabit.

Si vis facere Irim apparere. Accipe lapidem qui vocatur *Iris*, & eſt albus ad modum Cryſtalli quadratus ſeu cornua

cornua habens, si iste lapis ponatur in radio solis statim reflectendo facit apparere Irim in pariete vel muro, & inueniuntur plures in Sicilia, & in Æthiopia.

Si vis lapidem vnum, qui nunquam calefiat, accipe lapidē qui dicitur *Gallasia*, & est habens grandinis figuram & colorem, & duritiem habet adamantis. Si lapis iste in igne ponitur fortissimo, nunquam calefiet & est causa, quia habet poros ita cōstrictos, quia calor ingredi non potest corpus lapidis. Dicit etiam Aaron & Euax, quod lapis gestatus mitigat iram, luxuriam & cæteras calidas passione.

Si vis scire vtrum vxor iaceat cum aliquo alio à marito. Accipe *Galerites* lapidem sic appellatum, qui est idem cum Catabre, & inuenitur in Lybia & Britannia, & est duplicis coloris, scilicet nigri & crocei, & inuenitur glaucus tendēs ad palliditatem. Curat hy-

rat hydropiſim, & fluentes ventres confirmat. Et dicit Auicenna, quod ſi iſte lapis teratur & lauetur ſiue lauandus detur alicui mulieri, ſi virgo non ſit, ſtatim vrinabit, ſi virgo eſt, non.

Si vis hoſtes ac inimicos deuincere. Accipe lapidem qui dicitur *Draconites* è capite draconis. Et ſi de viuo lapis extrahatur, valet contra omnia venena. Et ferens eum in ſiniſtro brachio omnes hoſtes deuincet.

Si vis amorem generare inter aliquos duos. Accipe lapidem qui *Echites* dicitur& à quibuſdam dicitur Aquileus, quia Aquilæ in nidis ſuis collocant, purpurei coloris eſt, & inuenitur iuxta litora Oceani, & aliquando in Perſia,& in ſe ſemper continet alium lapidem, qui in ipſo ſonat quando mouetur. Fertur ab antiquis Philoſophis, quod hic lapis ſiniſtro brachio ſuſpenſus conciliat amorẽ inter

virum

virum & vxorem, confert prægnantibus, abortum impedit, periculum perteritionis mitigat, & caducis dicitur valere. Et ſicut dicunt Chaldæi, ſi in cibo ſit venenum, & lapis prædictus ponatur in eo, prohibet ne poſſit deglutiri cibus ille, & ſi ſubtrahatur ſtatim deglutitur. Et hoc vltimũ à quodam fratrum noſtrorum ſenſibiliter examinari vidi.

Si vis reddere hominem tutum. Accipe lapidem qui *Terpiſtrites* nuncupatur, in mari generatur rutilans eſt & rubicundus. Et dicitur in lib. Alchorat, quod ſi ante cor geſtatur, hominem reddit tutum, & omnes compeſcit ſeditiones, Dicitur etiam compeſcere locuſtas, volucres, nebulas, grandines, ac tempeſtatem à fructibus terræ. Et eſt expertum à modernis Philoſophis, & à quibuſdam fratrũ noſtrorum, quod oppoſitus radio ſolis radios ingenitos emittit. Item quod

ſi lapis

si lapis iste in aquam bullientem ponatur, statim cessabit bullitio, & post modicum refrigescet.

Si vis vt peregrini pergant tuti. Accipe lapidem qui *Hiacynthus* vocatur, multorum est colorum. Viridis autem est melior, & habet venas rubeas, & vult in argēto collocari, & in lecturis quibusdam dicitur, quod eius sunt duo genera, Aquaticus & Saphyrinus. Aquaticus flauus est albescens. Saphyrinus autem flauus perlucens valde, nihil habēs aquositatis, & hic est melior, & de hoc scribitur in lecturis philos. quod digito vel collo gestatus reddit peregrinos tutos, & gratos hospitibus. Et somnum prouocat propter suam frigiditatem, & hoc proprie habet Saphyrinus.

Si vis seruari à diuersis casibus & pestiferis morsib. Accipe lapidem qui *Orithes* vocatur, cuius tres sunt species, vna nigra, alia viridis, tertia cuius

altera

altera pars est aspera, altera plana, & color eius quasi ferri lamina est, sed viridis habet maculas albas. Hic lapis gestatus præseruat à diuersis casibus & periculis mortis.

Si vis conciliare pacem. Accipe lapidem qui vocatur *Saphyrus*, qui venit ab Oriente in Indiam, & flauus est melior, non est tam lucidus, pacem creat & concordiam, purum & deuotum ad Deum animum efficit, animum confirmat in bonis, & hominem refrigescere facit interiore ardore.

Si vis curare virginem. Accipe lapidē qui *Saunus* vocatur, à Sauna insula, mentem deferentis consolidat, alligatus manui parturiētis impedit partum, & ipsum continet in ventre. Idcirco prohibetur in re tali, ne lapis iste mulierem tangat.

In libro numeralium in Aaron & Euax multa similia & alia inuenies.

Modus

Modus autem agendi in his in hoc consistit, vt pro effectu bono deterens sit mundus ab omni corporis pollutione.

PARS TERTIA.

De virtutibus animalium quorundam.

CVm superius dictum sit de quibusdam effectibus causatis virtute lapidum quorundam, & de eorum mirabili efficacia siue operatione. Nunc dicendum est in isto capit. de quibusdam effectibus causatis à quibusdam animalibus.

Aquila	*Eperiolus*	*Pellicanus.*
Cassso	*Leo*	*Corvus.*
Bubo	*Foca*	*Milvus.*
Hircus	*Anguilla*	*Turtur.*
Camelus	*Mustela*	*Talpa.*
Lepus	*Vappa*	*Merula.*

Aquila auis satis nota est, à Chaldæis

dæis Vorax dicitur. Refert Aaron & Euax, quod mirabilem habet naturã siue virtutem, quia si eius cerebrum puluerisetur, & cum succo cicutę misceatur, & ex hoc comedentes statim se capiant per capillos, nec se dimittent, donec acceptũ portauerit. Huius autem effectus ratio est, quia cerebrum illud calidissimum est, ita quod generat virtutem phantasticam obturando meatus per fumum.

Casso est animal satis notũ à Chaldæis vocatur Rapa. De hoc dicit Aaron, quod si pedes eius ab aliquo ferantur, nunquam vexabitur, sed semper progredi appetet. Item gestãs pedes eius semper vincet, & ab inimicis suis timebitur: & dicit quod dexter eius oculus in corio lupi inuolutus, reddet hominem placentem & gratiosum, & benignum, & si ex prædictis rebus fit cibus vel puluis, in cibo alicui datus, multum diligetur ab eo.

Hoc

Hoc autem vltimum tempore noſtro expertum eſt: & ſi prædicta confectio ponatur in ſimo fiunt vermes venenoſi, de quibus ſi aliquis comederit, ſtatim dormiet, & non poterit excitari, donec ſuffumigetur ariſtologia, & maſtice.

Bubo auis eſt ſatis nota, & à Chaldæis Magis dicitur. Huius auis mirabiles ſunt virtutes. Si enim cor eius cum dextro pede eius ſuper dormiẽtem ponatur, ſtatim tibi dicet quicquid fecerit, & quicquid ab eo interrogaueris, & hoc à noſtris fratrib. expertum eſt moderno tempore: & ſi hoc iterum ſibi ponat quis ſub aſcella nullus canis ei latrabit, ſed obmuteſcet, & ſi coniunctio prædictorum cum ala ſua ſuſpendatur ad arborem aues congregabuntur ad arborem.

Hircus eſt beſtia ſatis nota, à Chaldęis Erbichi. Si ſanguis eius accipiatur

tepidus

tepidus cum aceto & fænationis ſucco, & ſimilis cum vitro bulliat, reddit vitrum molle ad modum paſtæ, poteritque proiici contra murum vel parietem, nec frangetur, & ſi prædictum compoſitum in vaſe ponatur, & de hoc vngatur facies, res mirabiles & horribiles apparebunt, & videbitur ei quod debeat mori, & ſi prædictum in ignem ponatur, & ibi ſit aliquis caducus appoſito lapide Magnete, ſtatim cadet ad terram ſicut mortuus, & ſi ei detur aqua anguillarum ad potandum ſtatim curabitur.

Camelus eſt animal ſatis notum, à Chaldæis dicitur Cyboi. Si eius ſanguis ſuper caput ponatur in pelle ſtellionis, ſtellis lucentibus videbitur, quod ille ſit Gigas, & quod eius caput ſit in cœlo. Et hoc dicitur in libro Alchorat ab Hermete, Et ſimiliter ſi ex hoc aliquis comederit, ſtatim exibit

exibit de ſenſu. Et ſi lucerna eius ſanguine vncta, accendatur, videbitur quod omnes homines circumſtantes habent caput Cameli, dum tamen non ſit lumen extrinſecum alterius candelæ.

Lepus eſt animal ſatis notũ, à Chaldæis Veterellum nuncupatur. Huius virtus mirabilis refertur. Dicit enim Euax & Aaron, quod pedes eius iuncti cum lapide alias capite merulæ, mouent hominem ad audaciam, ita quod non timet mortem. Et ſi ſiniſtro brachio alligatur, perget quo voluerit, & tutus redibit abſq; periculo. Et ſi cani detur comedendum cum corde Muſtelæ, de cætero non vociferabit, etiamſi interficeretur.

Eperiolus eſt animal ſatis notũ. Vnguis eius ſi comburatur & conſolidetur, & detur in cibo alicui equo, non comedet per triduum, & ſi prædictum ponatur cum aliquantulo tere-

bentinæ, erit lucidum, & ſecundo fiet quaſi nubes ac ſanguis, ſi proiiciatur in aquam aliquantulum, fiet tonitruum horribile.

Leo eſt animal ſatis notum, à Chaldæis Aalamus vocatur, à Græcis Beruth. Si ex eius pelle fiant corrigiæ, præcinctus ex illis, non timebit hoſtes, & ſi de eius carnibus quis comederit, ac de eius aqua biberit, per tres dies curabitur à febre quartana, ac ſi de eius oculis ſub aſcella ponatur vel portetur, omnes beſtiæ inclinato capite verſus ima terga fugam dabunt.

Foca eſt piſcis, ſatis notus, à Chaldæis Daulaubur, à Græcis labor dicitur, hic piſcis eſt diuerſæ naturæ. Si enim lingua eius accipiatur, & cum aliquando corde eius in aqua ponatur, pro certo congregabuntur ibi piſces, & ſi ſub aſſella portaueris, nullus iudicio contra te victoriam habere poterit,

Digitized by Google

poterit, iudicem benignum & ſuauem habebis.

Anguilla eſt piſcis ſatis nota. Huius autem (prout vult Euax & Aaron) mirabiles ſunt virtutes. Si enim moriatur defectu aquæ corpore integro remanente, & accipiatur acetum forte, & miſceatur ſanguini vulturis, & ponatur ſub fimo in aliquo loco, omnes quotquot fuerint, recuperabũt vitam, ſicut prius habuerũt. Et ſi vermis eius anguillæ extrahatur, & in prædicta confectione ponatur per menſem vnum, vermis mutabitur in anguillam nigerrimam, de qua ſi quis comederit, morietur.

Muſtela eſt animal ſatis notum, Si cor huius animaliscomedatur adhuc eo palpitante, facit ſcire futura, & ſi de corde cum oculis, & lingua canis aliquis comedat, ſtatim amittet vocem. Vpupa eſt auis ſatis nota, à Chaldæis Bori dicta. Oculi eius

gestati faciunt hominem grossum, & si oculi eius ferantur coram pectore, omnes eius inimici pacificabuntur, & si caput eius in bursa tua habueris, non poteris decipi ab aliquo mercatore, hoc autem expertum est à fratribus nostris hodie.

Pellicanus est auis satis nota, à Chaldæis Voltri dicitur, Huius virtus mirabilis est. Si eius pulli interficiantur, dum tamen eorum cor non frangatur, & de eius sanguine accipiatur, & tepidus ore pullorum ponatur, statim sumit vitam sicut prius. Si suspēdatur ad collum alicuius auis, semper volabit donec cadat mortua, & dexter eius pes sub calido, post tres menses ex humore & calore, quem auis habet, generabitur viua, & mouebit se, & hoc testatur Hermes in libro Alchorath, & Plinius.

Corus est auis satis nota, & est eius virtus mirabilis, vt recitat Euax & Aaron.

Aaron. Si enim eius oua coquantur, & iterum in nido ponantur, ſtatim coruus procedit ad mare rubrum in quandam inſulam, vbi eſt Aldoricus vel Alodrius ſepultus, & affert lapidem quo tangit oua ſua, & ſtatim fiũt cruda, ſicut prius erant. Mirabile eſt oua cocta ſuſcitare. Si autem lapis iſte ſupponatur in annulo supponẽdo ſibi folium lauri, & tangatur vinctus catenis, & ianua clauſa, ſtatim ſoluetur vinct⁹, & aperietur ianua. Et ſi lapis iſte ponatur in ore, dat intellectum omnium auium. Vnus autem lapis eſt Indicus, quia in India reperitur, ſecundum ſapientes quoſdam, & aliquando in mari rubro, varij coloris eſt, & facit omnes iras obliuiſci, ſicut ſupra diximus.

Milus eſt auis ſatis nota, à Chaldæis Byſicus dicitur, ſi caput eius accipiatur, & feratur ante pectus, dat amorem & gratiam omnium homi-

num & mulierum, si suspendatur ad collum gallinæ, nunquam cessabit decurrere donec deponat illud, & si ex eius sanguine inungatur crista galli, de cætero non cantabit, in genibus eius inuenitur quidam lapis, si inspiciatur subtiliter, qui si ponatur in cibo duorum inimicorum fiunt amici, & erit optima pax inter eos.

Turtur est auis satis nota, & à Chaldæis dicitur Mulona. Si cor huius auis feratur in corio Lupi, nunquam de cætero habebit ferens appetitum luxuriandi, & si cor eius comburatur, & supra oua alicuius auis ponatur, nunquam de cætero ex eis poterit generari fœtus. Et si pedes eius suspendantur ad arborem, de cætero non fructificabit, & si eis sanguine cum aqua talpæ decocta vngatur locus pilosus & equus, cadent nigri capilli.

Talpa

Talpa est animal satis notum, huius animalis virtus mirabilis est, vt refertur à Philosophis. Si pes eius inuoluatur in folio lauri, & ponatur in ore equi, ipse fugiet præ timore, & si in nido alicuius auis ponatur, nunquã ex ouis illis exibit fœtus, & si talpas fugare volueris, pone eam in aula, & sulphur viuum accensum, & ibi conueniunt omnes aliæ talpæ, & aqua decoctionis ipsius dealbat equum nigrum.

Merula est auis satis nota, & est eius virtus mirabilis, quia si pennæ alæ dextræ eius suspendantur in medio domus cum filo rubeo, quod nunquã fuerit in vsu, nullus poterit dormire in illa domo donec deponatur. Et si cor eius ponatur sub capite dormientis, & ab eo quæratur, omnia dicet, quæ fecerit alta voce: & iterum si in aqua ponatur cum sanguine vpupæ, & cum misceatur, postea vn-

maleuolo, vel è contra impediretur virtus & effectus eius propter ſuum contrarium, & ſic bona & vera vilipenderent. Videmus enim quamplurimos falli in certis ac veris, qui ſi ſignorum vel temporum qualitates agnoſcerent, & cuſtodirent in ſupradictis voluntatem conſequerentur & effectum.

Si quis cor canis ſiniſtra parte portauerit, omnes canes obmuteſcent.

Si quis oculum dextrum Lupi ligauerit in manica dextra, neq; homines neque canes ei nocere poſſunt.

Et vt omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, & etiam dicentur inferius, qui aſtrorum peritiam non habent ad effectum ſui deſiderij facilius poſſint accommodare: Primo notabis, quod hora ſumitur dupliciter, videlicet æqualis & inæqualis. Hora æqualis eſt hora horologij, quæ ſemper æqualis exiſtit. Inæqualis autem cõſideratur

ſecundum quod dies maiorantur vel minorantur. Nam ſemper aſtrologi conſiderant tempus, quo Sol ſtat ſuper horizonta ſuum, & illud vocant diem vel arcum diurnum, & vice verſa noctem. Id autem tempus, quod diem appellant, in partes diuidunt duodecim æquales, quæ ſunt horæ eiuſcemodi diei, & quicquid de die dicitur, de nocte oppoſito modo intelligas. Et vt clarius percipias, ponamus quod Sol emergat horizõtem hora octaua horologij, habemus vſq; ad occaſum 7. horas horologij. quas multiplicemus per 60. prout 60. ſunt minuta cuiusq; horæ horologij, & habebimus noningẽta ſexaginta minuta, quæ diuidamus per 12. prout 12. ſunt horæ diei, applicando cuilibet horę ſuam portionẽ, & habebimus 80. minuta hora qualibet: ergo hora talis diei habebit 80. minutas, quæ capient horam vnam, & vnũ tertium

tertium horæ horologij. Et toto illo tempore considerabitur dominium planetæ illius horæ, quemadmodum infra scripta tabula demonstrabit. Quælibet autem hora sua noctis non habebit nisi 40. minutas. Quod sic de reliquis suo modo intelligas, secundum videlicet solis ortum super terrã, quia non ea hora, quę media est inter noctẽ & diem dies dicitur, sed dies proprie intelligitur cum Sol videri potest. Cum ergo voles cuiusq; planetæ dominium cõsiderare, nam vnaquaq; hora quilibet planeta suũ habet dominium, horas ipsas supra scripto modo considerabis, & sic poteris ad finem propositi peruenire. Considerabitur etiam diei initium à prima hora præcedentis diei post meridiem, si diuidatur dies dominicus in duas partes æquales, & sic duodecim horas diuide in duas, erit ergo octodecim dimidium diei, &

prima hora ſequens erit initium diei Lunæ.

De aſtris & planetis rerum ſcias, quod dies dominicus habet aſtrum ſuum ſub Sole.

Dies Lunę habet aſtrum ſuum ſub Luna.

Dies Martis habet aſtrum ſuum ſub Marte.

Dies Mercurij habet aſtrum ſuum ſub Mercurio.

Dies Iouis habet aſtrum ſuum ſub Ioue.

Dies Veneris habet aſtrum ſuum ſub Venere.

Dies Sabbathi habet aſtrum ſuum ſub Saturno.

Nota quod omnis actus fieri debet ſub ſuo planeta. Et melius eſt, ſi in proprio die illius planetæ, & in ipſius hora propria fiat, vt verbi gratia.

Sub Saturno, vita, ædificium, doctrina, mutatio.

Sub

Digitized by Google

Sub Ioue, honor, optatum, diuitiæ, indumentum.

Sub Marte, bellum, carcer, matrimonium, inimicus.

Sub Sole, ſpes, lucrum, fortuna, hæres.

Sub Venere, amicus, vel ſocietas, via, amica, peregrinus.

Sub Mercurio, amiſſio, debitum, timor.

Sub Luna, palatium, ſomnium, mercatum, furtum.

De horis dierum & noctium.

ET primo de horis diei dominicæ hora eius, 1. Sol, 2. Venus, 3. Mercurius, 4. Luna, 5. Saturnus, 6. Iupiter, 7. Mars, 8. Sol, 9. Venus, 10. Mercurius, 11. Luna, 12. Saturnus.

Noctis vero prima eius hora Iupiter, 2. Mars, 3. Sol, 4. Venus, 5. Mercurius, 6. Luna, 7. Saturnus,

Digitized by Google

8. Iupiter, 9. Mars, 10. Sol, 11. Venus, 12. Mercurius.

Diei Lunæ, 1. eius hora Luna, 2. Saturnus, 3. Iupiter, 4. Mars, 5. Sol, 6. Venus, 7. Mercurius, 8. Luna, 9. Saturnus. 10. Iupiter, 11. Mars, 12. Sol.

Noctis vero 1. eius hora Venus, 2. Mercurius, 3. Luna, 4 Saturnus, 5. Iupiter, 6. Mars, 7. Sol, 8. Venus, 9. Mercurius, 10. Luna, 11. Saturnus, 12. Iupiter.

Dies Martis, 1. eius hora Mars, 2. Sol, 3. Venus, 4. Mercurius, 5. Luna, 6. Saturnus, 7. Iupiter, 8. Mars, 9 Sol, 10. Venus, 11. Mercurius, 12. Luna.

Noctis vero diei Martis prima eius hora Saturnus, 2. Iupiter, 3. Mars, 4. Sol, 5. Venus, 6. Mercurius, 7. Luna, 8. Saturnus, 9. Iupiter, 10. Mars, 11. Sol, 12. Venus.

Diei Mercurij 1. eius hora Mercur. 2. Luna, 3. Saturnus, 4. Iupiter, 5. Mars, 6. Sol, 7. Venus, 8. Mercurius, 9. Luna, 10. Saturnus, 11. Iupiter, 12. Mars,

Digitized by Google

Noctis vero Mercurij, 1. eius hora Sol, 2. Venus, 3. Mercurius, 4. Luna, 5. Saturnus, 6. Iupiter, 7. Mars, 8. Sol, 9. Venus, 10. Mercurius, 11. Luna, 12. Saturnus.

Dies Iouis, 1. eius hora Iupiter, 2. Mars, 3 Sol, 4. Venus, 5. Mercurius, 6. Luna, 7. Saturnus, 8. Iupiter, 9. Mars, 10. Sol, 11. Venus, 12. Mercurius.

Noctis vero Iouis, 1. hora Luna, 2. Saturnus, 3 Iupiter, 4. Mars, 5. Sol, 6. Venus, 7. Mercurius, 8. Luna, 9. Saturnus, 10. Iupiter, 11. Mars, 12, Sol.

Dies Veneris, 1. eius hora Venus, 2. Mercurius, 3 Luna, 4. Saturnus; 5. Iupiter, 6. Mars, 7. Sol. 8.

Noctis vero Veneris 1. eius hora, Mars, 2. Sol, 3. Venus, 4. Mercurius, 5. Luna, 6. Saturnus, 7. Iupiter, 8. Mars, 9. Sol, 10. Venus, 11. Mercurius, 12. Luna.

Dies Sabbathi. 1. eius hora, Saturn. 2. Iupiter, 3. Mars, 4. Sol, 5, Venus, 6. Mer-

6. Mercurius, 7. Luna, 8. Saturnus, 9. Iupiter, 10. Mars, 11. Sol, 12. Venus.

Noctis vero Sabbathi prima eius hora Mercurius, 2. Luna, 3. Saturnus, 4. Iupiter, 5. Mars, 6. Sol, 7. Venus, 8. Mercurius, 9. Luna, 10. Saturnus, 11. Iupiter, 12. Mars. Et nota quod Iupiter, & Venus boni sunt. Saturnus & Mars mali. Sol vero & Luna mediocres. Mercurius autem cum bonis bonus, & malis malus. His cognitis, & ad vsum tuum Lector benevole annotatis, alia itidem subiungenda duximus. Scribit Galenus, quod quando folia acetosæ comeduntur, soluunt ventrem. Et dicitur, quod radix acetosæ suspensa super habentem scrophulas iuuat ipsum.

Et dicunt Philosophi, quando vis vt redeat bestia ad hospitium suum, linc frontem eius cum sepoſquilla & redibit.

Et Arist. dixit in libro de animal.

Si po-

Si ponat aliquis ceram contritam ſuper cornua vituli vaccarum, vadit cum eo vbicunque vult ſine labore, & ſi inungat aliquis cornua vaccarũ cum cera & oleo aut pice, recedit dolor pedum earum. Et ſi quis delinierit caput tauri oleo roſarum, apoſtematur caput eius, & ſi liniatur cum eo caput vaccæ, moritur. Et ſi aliquis vnxerit linguam boum cum ſepo aliquo, non guſtant cibum, nec comedunt, ſed prius moriuntur fame, niſi abſtergatur cum ſale & aceto. Et ſi quis inungit anum galli cum oleo, nõ calcat gallinam, nec poteſt, & ſi quis vult, vt non vociferet gallus, caput eius inungat oleo, & frontem. In libr. Archigenis dicitur, quando cauilla leporis ſuſpenditur ſuper eum, qui patitur licam confert.

Et dixit Ariſt. qui ſedet ſuper pellem leonis, recedunt ab eo hæmorroides.

Et di-

Et dixerunt Philoſophi, ſi annularem abortiui ſuſpẽdit ſuper ſe mulier, non concipit, donec permaneat ſuper ipſam. Et quando bibit mulier vrinam arietum, nunquam cõcipiet, & quando bibit ſanguinem leporis non concipit, Et ſi ſtercus leporis ſuſpendatur ſuper mulierem, non concipit, donec permaneat ſuper ipſam: & origanum modo tantum quando teritur & pulueꝛizatur ſuper locum formicarum, amittunt formicæ locum ſuum.

Dixerunt Philoſophi. Si ſuſpendatur caput capræ ſuper illũ qui patitur ſcropulas, ſanatur per ipſum. Et dicitur in lib. decorationis. Accipe Myrrham, & line pollicẽ pedis dextri tui cum oleo de paleſtina trita, tunc tu concũbes dum illud permanet ſuper pollicem. Et dicitur ibi, quod ſi tu accipis fel hirci & adipes, & exſicca vtraque deinde tere ea, & calefac

lefac ambo cum puro oleo, & line cum ea Priapum in circuitu hora coitus, & nullum alium expetet præter te.

Dicunt etiam Philoſ. Si accipiatur medium pondus iij illius, & quinq; ex duobus teſticulis vulpium, & ex felle galli, & permiſceat vtraque, & portet ea continuo tribus diebus in vulua, ſi in die quarta futat eam vir, imprægnabitur à maſculo.

Si ſuſpendatur cauda Adib, ſupra præſepe vaccarum aut pecudum, nõ appropinquabit lupus, donec permanebit illic, & ſi ſuſpenditur cauda lupi aut pellis, aut caput, ſupra præſepe, non comedent boues nec beſtiæ aliquid. Et mulier quæ ſe ſæpius inungit vrina Adib, nunquam concipiet.

Si vis vt mulier non corrumpatur, nec quærat viros. Accipe Priapum lupi & pilos palpebrarum eius & pilos, qui ſunt

ſunt ſub barba eius, & combure illud totum, & da ei in potu ipſa neſciente, nullum alium volet. Et dixerunt, quando mulier nõ vult virum ſuum, tunc accipiat vir eius aliquid de ſepo hircorum mediorum inter paruos & magnos, & liniat cum eo Priapum ſuum, & coeat, ipſa enim amabit eum nec coibit poſtea cum aliquibus.

Et dixerunt quod teſtudo quando venenatur, comedit origanum & ſanatur, & ideo ſciuit, quod origanum ſuccubuit cum veneno.

Dicitur etiam quod muſtela, quãdo venenatur à ſerpente comedit rutam, & ſciunt ex hoc, quod ruta eſt contrarium veneno ſerpentum.

Et mus ſuppoſitus puncturæ ſcorpionum liberat, quia contrarius eſt, & nihil timens eum.

Dicunt Philoſ. Quod ſi quis extraxerit calcaneum mulieris muſtelæ ipſa exiſtente viua, & ſuſpendatur ſuper

Digitized by Google

ſuper mulierem, non concipit, donec maneat ſuper eam, & quando remouetur, imprægnatur.

Et inuenerunt Philoſ. quod ſi aliqua mulier eſt ſterilis, quando apponunt rem facientem ſterilem, mulier fit non ſterilis, & è conuerſo.

Si accipiantur duo teſticuli muſtelæ, & ſtringantur & ligentur in crucem mulieris, & habeat eos ſecũ mulier, non concipit & dicitur, quod quando ſpongia proiicitur in vino mixta aqua, deinde extrahitur & reſtringitur & exprimitur, egreditur aqua ex eo & remanet vinum, & ſi non eſt mixtum, nihil egreditur.

Dicit Tabarienſis, quod ſi ſuſpenditur lapis ſpongiæ in collo pueri, qui tuſſit tuſſi vehementi, ſedatur tuſſis eius: & quando intromittitur in caput aſini aut anũ ſcarabeus ſincopizat, & non vertitur, donec extrahatur ab eo.

Etſi

Et ſi homo comedit lentes ac mordeat, non ſanatur morſus, & quando intromittitur in anum arietis cadit lana eius.

Dicitur etiam, quod ſi ligetur aliquis lapis cum cauda aſini, non rudet nec ruget.

Si accipiãtur pili aſini, qui ſunt iuxta priapum eius, & dantur alicui in potu triticum vino cuiuis, incipit ſtatim pedere.

Similiter ſi aliquis accipit oua formicarum, & conterit ea, & proiecerit in aquam, & dederit eam in potu cuiuis ſtatim non ceſſat pedere. Similiter faciunt cum vino.

Et dicitur, quod ſi feceris annulũ ex virga myrti recentis, & intromiſceas in ipſum annularem digitum, ſedat apoſtema ſub aſcellis.

In lib. Ariſt. radix Iuſquiani albi, quando ſuſpenditur ſuper patientem colicam confert ei: & quando hauriat, ni-

riat, nitrum salsum ponitur in vase, & ponitur super ipsum acetum, bullit fortiter absq; igne.

Dicitur etiam in libro Hermetis, quando proiicitur semen porri super acetum, redit aceto sitas eius.

Balbinus dicit, quando accipis albumen oui & alumen, & linis cum eo pannum, & ipsum abluis cum aqua salis, siccaceum, prohibet ignem comburere.

Dicit alius, quando accipitur Arsenicum rubeum & alumen, & teruntur ac conficiuntur cum succo semperuiuæ & felle tauri, & linit cum eo homo manus suas, deinde accipit ferrum ignitum, non comburit ipsum. Similiter si accipiatur ex magna & alumine iamenti & talo & aceto fortiet, & altea & contriueris ea contritione bona, & linias cum ea manus, non lædit eas ignis.

Et dixe-

Et dixerũt in Carabe, quando multum teris ipſum & ſufflas verſus lampadem cum ſufflatorio, inflammatur ex eo ignis magnus, & ab eo nihil cõtactum comburitur, & quando volueris, vt quæ ſunt in palatio videantur nigra, accipe de ſpuma maris, & calcato, & permiſce ea filis, deinde humecta cum ea licinium, & illumina cum eo lampadem.

Quando vis, vt quæ ſunt in palatio, videantur ſine capitibus, accipe ſulphur citrinum cum oleo, & pone ipſum in lampade, & illumina cum eo, & pone illud in medio hominum & videbis mirum.

Et iterum dicit Belbinus, qui poſuerit portulacam ſuper lectum ſuũ, non videbit ſomnium nec viſionem penitus.

Et Ariſt. dicit, quod equæ, quando odorant fumum lampadis extinctæ abortiunt, & indignantur, & ſimiliter

militer hoc accidit quibuſdam mulieribus prægnantibus.

Dicit Ariſtoteles, quod ſi quis ingeniatur Camelum coire cum matre ſua, & ipſe præſentit illud, ipſe proſequitur eum, donec interficit eum, & ingenietur equum aſcendere matrem ſuam & præſentiat illud, interficit ſeipſum, & necat intendens ad hoc.

Et dicunt Phil. quod ſi ſubmergas muſcas in aqua videntur mortuæ, & ſi ſepeliantur in cinere reſurgunt iterum, & quando ſubmergis Aombor moritur, & ſi roretur ſuper ipſam acetum viuificatur, & quando ſepelis ſcarabeum in roſis moritur, & ſi ſepelis in ſtercore, viuificatur.

Dixerunt & Philoſophi, quod quando pennæ aquilarum ponuntur cum pennis aliarum auium, cõburunt illas, & mortificant eas, ſicut ipſa eſt vincens in vita ſua omnes

aues & dominans. Pennæ aquilarum sunt perniciosæ omnibus pennis, & dicunt Philosophi, quod si ponatur in aliquo loco pellis ouis cum pelle Adib, corrodit & consumit: & qui induit pannum ex lana ouis, quæ cõmedit Adib, non cessat ab eo pruritus, donec exuat eum. Et si acceperis pilum equæ, & extenderis ipsum super ostium domus, non ingreditur ostium illud cinifex, donec super eo stat pilus.

Et si suffumigas domum aut locũ pulmone asini, mundas eum ab omni serpente & scorpione, & sciunt Philosophi ex hoc, quod valet contra venenum.

Tabariensis etiam dixit, si lingua vpupæ suspendatur super patientem obliuiosum reddit memorem.

Et in libro Cleopatræ dicitur: si mulier non delectatur cum viro suo accipe medullam lupi de pede sinistro &

ſtro, & porta eam, ac nullum diliget niſi te. Et dicitur, quando accipitur coxa Sturionis maſculi ſiniſtra, & bulitum cum oleo, deinde liniuntur cum eo origines pilorum, nunquam renaſcuntur.

Dixit Architas ſi accipiatur cor, dum viuit & ſuſpendatur ſuper patientem quartanam eradicat eam.

Et ſpolium ſerpentis, quãdo ſtringitur ſuper ancham mulieris accelerat partum, ſed cum parit, ilico re-

moueatur.

Dentes omniũ ſerpentum, quando eradicas eos, dum viuit ſerpens, & ſuſpendantur ſuper quartanariũ, tollunt ab eo quartanam: & ſi ſuſpendatur ſerpens ſuper dolentem dentem prodeſt, & ſi ſerpens occurrit prægnanti, abortit: & ſi occurrit ei, dum parit, accelerat partum. Et dicũt ſi acceperis caninũ dentem crocodili ex palato eius ſuperiore ſiniſtro &

ſuſpendis eum ſupra febricientem, ſanat & redibit ad ipſum nunquam: & dixerunt, quod leo terretur ex gallo albo, & iterum timet ignem, & qui vngitur cum ſeuo renum leonis non timet ire inter beſtias, & omnes beſtiæ terrentur ex leone, & qui linit corpus ſuum cum ſtercore leporis, terrentur ab eo lupi.

Et ſi teritur arſenicum citrinum, & admiſcetur lacriſi, non cadit ſuper eum muſca, quæ non moriatur.

Si acceperis dextrum pedem teſtudinis, & ſuſpendis eum ſuper dextrũ pedem podagrici, confert ei. Similiter ſi ſiniſtrum ſiniſtro, & ſic manus eius confert manui, & digitus digito. Et accendatur ignis coram hernioſo ex viridibus lignis ficulneārum, crepitant teſticuli eius.

Et in libro Hermetis oculi vrſi ambo cum ligantur in panno lini ſuper adiutorium ſiniſtrũ, remouet quartanam.

tanam, & dicitur quod si lupus viderit hominem, & ipse non videt eum, stupescit, & homo timet & raucscit. Et ideo si quis gerit oculum lupi, iuuat ad victoriam, ad audaciam & debellationem, & timorem aduersarij.

Et dicitur, quod si fiat annulus ex albis vngulis asini, qui induit ipsum epilepticus, non patitur epilepsian.

Et dixerunt, quando vis ne approximent muscæ domo, tunc pone cõdisim & opiam in albedine calcis, & inde albifica domum cum ea, tunc non egredientur muscæ penitus.

Et quando vis, vt narret tibi mulier vel puella tua omnia quæ fecit, accipe cor columbæ, & caput ranæ, & exsicca vtraque & tere, & pulueriza supra pectus dormientis, & narrabit omnia quæ fecit. Dum vero euigilauerit, exterge illud à pectore ne alleuetur. Et dicunt, quod si quis

ponit adamantē capiti mulieris dormientis, manifeſtat ſi eſt adultera: quoniam ſi ſic eſt, reſilit territa de lecto: & ſi non, amplectitur virum ſuum cum grandi dilectione.

Et dicunt quod pellis aſini quando ſuſpenditur ſuper pueros prohibet eos terreri.

Et dicit Architas, quod ſi accipiatur cerumen auris canis ſiniſtrę, & ſuſpendatur febricitantibus periodice, confert multum maxime quartanæ.

Et dicunt Philoſophi, quod aliqua ſpecies vel indiuiduū, quæ nunquam habuit ægritudinem, confert omni ægritudini: & cum nunquam affuerit dolor aliquis, ſuccurrit & ſanat hominem ab illo.

Et ſi ſuſpenditur ſpuma maris ſuper ancham mulieris ſiniſtram, accelerat partum, & quando ſuffumigatur domus cum vngula Muli ſiniſtra, non remanent in ea muſcæ.

Et ſi

Et ſi ſuſpendatur cor vpupæ, aut oculus, aut cerebrum ſupra ſe ad collum ſuum, confert obliuioni, & ſubtilitat intellectum hominis.

Si mulier non poteſt concipere, accipe cornu ceruinum pulueriſatũ, & miſceatur cum felle vaccino, teneat mulier ſuper ſe, coeat & ſtatim concipiet.

Sera de cauda equæ poſita ſuper oſtio non permittit intrare zanzalas.

Dens pulli vnius anni poſitus in collo infantis, facit eius dentes prouocari ſine dolore.

Dens equæ poſitus ſuper caput furentis, ſtatim liberat eum.

Si mulier non poteſt concipere, detur ei neſcienti lac iumenti, ea hora coeat, & ſtatim concipiet.

Vnguis equi ſuffumigatus in domo effugat mures. Idem fit ex vngula muli.

Vt tota aqua calida exeat è cali-

dario atramentum, id est, terram franciscam cum pice proiice in aquam & tota exibit. Vt ignis de aqua extra eat, testam oui accipe, & sulphur viuum tritum impone, & calcem, & claude foramen, mitte in aquam, & incenditur.

Et dicitur, quod si ponatur Camphora super aquam, accenditur & comburitur in aqua.

Vt aues manibus comprehendas, accipe grana quæuis, in fece vini, & in succo cicutæ valde imbibita, & obijce ad aues, omnis auis, quæ inde gustat, inebriatur & perdit vires.

Si quæ mulier te ligauit maleficiis ad amorem suum, & vis illud dissoluere. Accipe Camisiam suam, & per capitium eius minge foras, & per manicam eius dextram, & non curabis de ea.

Vt mulier cum aliquo adulterare non possit, incide de capillis eius, & pulue-

puluerem illorũ tibi ſuper feretrum ſparge, ante tamen vnge feretrũ cum [illegible]e, & mox coeas cum muliere, & cum volueris ſoluere ex tuis capillis fac ſimiliter.

Et dicunt, ſi aliquis inungatur lacte aſinæ, congregabuntur in eo omnes pulices domus.

Literas quæ non leguntur niſi de nocte: cum felle teſtudinis ſcribe, aut lacte ficus, ſi ponatur ad ignem, aut cum aqua vermis lucentis de ſero.

Si accipiantur multa albumina ouorum de gallina poſt menſem fiunt vitrum, & dura vt lapis: & ex hoc tali fit topatius ſophiſticatus, ſi prius cũ croco vel terra rubea liniatur. Similiter ſpuma, quę inuenitur circa teſticulos cerui, vel equi, vel aſini fatigati, admiſceatur cum vino: & illud vinum detur alicui potationi abhorrebit vinum per menſem.

Digitized by Google

Et ſi habueris plures anguillas in vaſe vini,& dimittantur in illo mori: ſi quis biberit ex illo, abhorrebit vinum per annum,& forte ſemper.

Et dicitur, quod ſi accipiatur funis aliqua, cum qua ſuſpenditur fur vel ſuſpenſus eſt, & aliquantulum paleæ quam turbo venti aere ſuſpendit, & ponatur in olla, & miſceatur cum aliis ollis illa omnes alias frangit. Item accipe aliquantulum prædicti funis,pone in inſtrumento cum quo mittitur panis in furno, quando ille, qui mittere debet in furno mittet,non poterit immittere, ſed extra exiliet.

Vt homines videantur ſine capitibus,accipe ſpolium ſerpentis & auripigmentum, & picem græcam reuponticum,& ceram nouarum apum, & ſanguinem aſini,& tere omnia, & mitte in rudi olla plena de aqua, & facias bullire ad lentum ignem, & poſtea

Digitized by Google

poſtea dimitte frigeſcere, & facias cę-
rum, & omnis qui illuminabitur eo,
videbitur ſine capite.

Vt homines videãtur habere quo-
rumlibet animalium capita: Accipe
ſulphur viuum & litargyrium, & iſtis
ſimul pulueriza tis, ſparge in lampa-
de oleo plena, habeantq; candelam
de cera virginea, quæ permixta ſit cũ
fece illiusanimalis, cuius caput vis, vt
videatur habere tenẽs candelam ac-
cenſam de lampadis igne, & da bibe-
re vinum cum valdimonia, & illi qui
inde potabunt, videbunt ſe habere
caput animalis.

Vt homines videantur habere vul-
tum canis, accipe adipem de aure ca-
nis, vnge ex eo parum de bombycino
nouo, pone in lampade noua de vi-
ridi vitro, & pone lucernam inter ho-
mines, & cernunt vultum canis.

Vt homines videantur habere tria
capita, accipe de pilis aſini mortui,

& fac funiculum, & ſicca, & ſume medullam de oſſe principalis dextri humeri, & miſce cum virga virginea, & line funiculum, & pone ſuper liminaria domus: ingredientes domum tria capita habebunt, hi qui in domo ſunt, intrantibus aſini videbuntur.

Si vis vt caput hominis, caput aſini videatur: tolle de ſegmine atelli, & vnge hominem in capite.

Si vis vt pullus aut res alia ſaltet in diſco: accipe argentũ viuum, & pulueream calamitæ, & mitte in ampullam vitream ſigillatam, & illam pone intra rem calidam, quia cum ſit argentum viuum calidum, mouet ſe, & faciet eam ſaltare.

Si vis videre quod alij nequeunt, accipe fel de maſculo catto, & adipem gallinæ omnino albæ, & miſce inſimul, & oculos tuos inunge, & videbis.

Si vis

Si vis intelligere voces auium, associa tecum duos socios in 5. Calendas Nouembris, & vade in quoddam nemus cum canibus, quasi ad venandum, & illam bestiam, quam primo inueneris, defer tecum ad domum, & præpara cum corde vulpis, & statim intelliges voces auium vel bestiarum, & si vis, vt aliquis intelligat, oscula eum, & intelliget similiter.

Si vis soluere vincula, vade in sylnam, & prospice vbi pica nidum habuerit cum pullis, & quando eris ibi, ascende ad arborem, & foramen eius circumliga quocunque vis, quia cum videt te, vadit pro quadam herba quam ponit ad ligaturam, & statim rumpitur, & tunc cadit herba illa in terram super pannum, quem debes posuisse sub arbore, & tu sis præsens & accipe.

In nido vpupæ est quidam lapis,

qui eſt diuerſorum colorum, defer tecum ipſum, & eris inuiſibilis.

Vt homo ſemper eunuchus ſit, accipe ex vermiculo qui in æſtate lucet da ei bibere.

Vt mulier confiteatur, quę fecerit, ranam aqualem cõprehende viuam, & tolle eius linguam, & remitte illam in aquam, & pone illam linguam ſuper partem cordis fœminæ dormientis, quæ cum interrogetur, vera dicet.

Si vis aliquem terrere in ſomno, capiti eius ſuppone pellem ſimiæ. Si vis capere talpam, in foramine eius cæpe vel porrum aut allium, & ſtatim egredietur ſine viribus. Serpens non accedit ad allium, nec canis guſtat aliquid tinctum cum allio.

Suffumigatio quam cum feceris, videbuntur omnes in forma elephãtum, qui ſunt in domo & equorum magnorum: Accipe ſpeciem quæ dicitur

citur Alchachengi, & contere & confice ipſam cum aliquantulo pinguedinis delphini, & fac ex eo grana ſicut citri. Deinde fumiga ex eis ſuper ignem ſtercoris vaccæ, quæ mulgetur, & non ſit in domo locus, ex quo egreditur fumus niſi portas, & ſit larga ſub terra deintus. Nam omnes qui ſunt in manſione videbuntur, quaſi ipſi ſunt homines magni in formis equorum, elephantum, & eſt mirabile valde.

Suffumigatio alia, quam cum facis vides formas multiformes, & mirabilia infinita, quæ præ multitudine nõ diſcernuntur: Accipe Timar. 1. vermilium & lapidem Lazuli, & pulegium montanum, & pulueriza totũ, & cribella illud, & confice illud, & cũ pinguedine delphini, vel equi, vel elephantis, fac grana in modũ ciceris & ſicca in vmbra, & ſuffumiga in eo, quando volueris, & fiet quod dictum eſt. Suffu-

Suffumigatio ad videndum in somno quod futurum est de bono & malo. Accipe sanguinem asini congelatum,& lupi cerni pinguedinem, & storacem aggregaui totum ponderibus æqualibus, & conficiantur, & fiant grana, & suffumigetur cum eis domus. Tu enim videbis in somno tuo,qui narrabit tibi omnia.

Modus faciendi licinium quod quando accendes, videbis homines in quacunque forma volueris. Accipe oculos bubonis, & oculos piscis qui dicitur Assures, & oculos piscis, qui dicitur Libiniti, & fel luporum, contrita ergo à manibus commiscēdo,pone ea in vase vitreo. Cum ergo vis operari cum, accipe adipem cuiuscunque vis bestiæ, quod fiat hoc in forma eius, liquefac eam, & permisce cum illa medicina, & inunge cum eo licinum quodcunq; vis,deinde accende ipsum in medio ædis, videbun-

Digitized by Google

debuntur enim omnes homines in domo illa in forma illius beſtiæ, cuius pinguedinem accepiſti.

Licinium aliud, vt homines appareant in forma Angelorum. Accipe oculos piſcis oculos filoæ, id eſt, trāgentis oſſa, & contrita eos manibus malleādo, & pone eos in vaſe vitreo ſeptem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipſum coram hominibus, qui ſunt in æde: ipſi enim videbunt ſe in forma Angelorum ex igne accenſo.

Licinīū aliud faciens apparere homines nigrarum facierum: Accipe lampadem nigram, & funde ſuper ipſum oleum Sambucinum vel argētum viuum, & funde in illo oleo vel argento viuo ex ſanguine flebotomatium, & pone in illo ſanguine Sambucinum vel argentum viuum. Aliud fit licinium ex panhis mortui,

aut

aut ex pannis nigris, & accede in medio ædis. Nam tu videbis ex hominibus mirabilia, quando videbunt ſe ad inuicem cum illis formis.

Lampas mirabilis in qua apparent res quantitatis terribilis habens in manu virgam & territat hominẽ. Accipe ranam viridem, & decolla eam ſupra pannum exequiarum viridem, madefac ipſum cum oleo ſambucino, & pone ipſum licinium, & illumina cum eo in lampade viridi, videbis nigrum ſtatum, inter cuius manus erit lampas & mirabile.

Lampas quam cũ aliquis tenet in manu, non videt aliquos eorum, qui ſunt ibi, & qui fuit poſt ipſum videbit tantum. Accipe piſcẽ qui dicitur Delphinus, deinde accipe pannũ lini aut funeris, & ſparge ſuper ipſum aliquid extra Azimar, deinde funde ſuper illud ex illa pinguedine liquefacta, deinde ſtringe manũ ſuper ipſum

& in-

& inuolue pannum, & fac ex eo licinium, deinde accende ipſum in lampade, & eris viridis, & fiet quod tibi dixi.

Lampas alia faciens apparere homines in forma fœda, & terrẽtur homines inuicem, & faciunt ipſum fingentes dæmonem. Accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non ſit albedo, & aliquid ex pinguedine eius, liquefac pinguedinem: Deinde accipe pannum exequiarum, & fac deinde licinium, deinde line ipſum cum eo quod feciſti, & illumina ipſum in lampade viridi cum oleo ſambucciño, & accende ipſum in domo, & nõ ſit ibi licinium præter ipſum, & videbis mirabile.

Licinium pulchrum, vt domus videatur rota plena ſerpentũ & imaginum, donec licinium permanet accenſum. Accipe pinguedinem ſerpẽtis nigri & ſpolium ſerpentis nigri, & pan-

pannum exequiarum,&fac licinium ex illo panno,deinde line ipſum cum illa pinguedine,& pone ſpolium ſerpentis in concauitate, ac illumina cum oleo ſambucino in lampade viridi aut nigra.

Aliud licinium, quod quando eſt accenſum,& infunditur ſuper ipſum aqua, inualeſcit, & quando oleum extinguitur,accipe calcem,quam nõ inuenit aqua, ac permitte eam cum æquali pondere ſibi ex cera & medietatis eius ex oleo balſami, ex napta citrina, cum æquali ſibi ex ſulphure, fac licinium ex ea, ac rora ſuper aquam, & accendetur, ac rora ſuper ipſum oleum, & extinguetur.

Licinium aliud quod cum accenditur, omnia videntur alba & argentea accipe lacertam,& abſcinde caudam eius, & accipe quod exit, quia eſt ſimile argenti viui. Deinde accipe licinium, & madefac cum oleo, ac pone

pone ipſum in lampade noua, & accende, domus ei videbitur ſplendida & alba vel deargentata.

Operatio lampadis & mirabilis, quam ſi quis tenuerit, non ceſſat pedere donec dimiſerit eam : accipe ſanguinem teſtudinis, exſicca ipſum in panno lini, & fac ex ipſo licinium, ac illumina ipſum in lampade, da ipſum cui vis, ac dic, illumina: nam ipſe non ceſſabit pedere, donec dimiſerit illud, & eſt mirabile.

Quando vis, vt videaris totus ignitus à capite vſque ad pedes, & non lædaris. Accipe maluauiſcum album, confice cum albumine ouorum, deinde line cum eo corpus tuum, & dimitte donec exſiccetur, deinde line te cum alumine, & poſtea pulueriza ſuper illud ſulphur ſubtile, inflammatur enim ignis in eo, & non lædit, & ſi facis ſuper palmam, poteris tenere ignem ſine læſione.

Si vis

Digitized by Google

Si vis, vt res proiiciatur in ignem & nō comburatur accipe glutem piſcis partem vnam, & aluminis æquale illi permiſceatur totum, & fundatur ſuper ipſum acetum vini, & commiſceatur cum eo quicquid vis, proiice in ignem, & line cum hoc linimento, non comburetur.

Si vis facere contrarium, ſcilicet imaginem aliquam hominis aut alterius, & quando ponitur in aqua accenditur, & ſi extraxeris eam, extinguetur, accipe calcem non extinctam & permiſce eam cum aliquantulo ceræ & oleo ſiſami & napta, id eſt, terra alba & ſulphure & fac ex illo imaginem: nam quando tu rorabis aqua accendetur ignis.

Si vis facere, vt quando aperis manus tuas ſuper lampade extinguatur lumen, & quando claudis eas ſuper eam accenditur, & nō ceſſat illud facere. Accipe ſpecie quæ dicitur ſpuma In-

ma Inda, tere eam, & deinde aperi eas in facie lampadis, delebitur lumẽ eius, & claude & reaccenditur.

Si vis videre rẽ ſubmerſam & profundam in nocte, & non occulturum tibi pluſquam in die legens libros de nocte nigra. Vnge faciem tuam cum ſanguine veſpertilionis, & erit quod dico.

Si vis albificare aliquid, ſuffumiga illud ſulphure.

Si vis, vt arbor citri proiiciat omnes fructus vt cadant. Accipe quinque partes ſulphuris citrini, & quinque nigri, & duo albi, & ſinabrium: tere omnia & permiſce & ſuffumiga, & cadent omnes fructus, forte eſt in aliis arboribus.

Si vis ſtatim interficere ſerpentem. Accipe ex Ariſtolochia rotunda quãtumuis, & tere illam bene, & accipe ranam ſylueſtrem vel campeſtrem, & contere ipſam, & commiſce eam

Ariſto-

Digitized by Google

Aristolochię,& pone cum eo aliquid ex incausto, & scribe cum eo in carta aut aliquod, quod plus amas, & proiice ad serpentes.

Si vis portare in manu tua ignem, vt non offendat. Accipe calcem dissoluram cum aqua fabarum calida, & aliquantulum magranculis & aliquantulum maluauescí, ac permisce illud cum eo bene,deinde line cum eo palmam tuam, &fac siccari,ac pone in ea ignem, non nocebit.

Dicunt Philosophi, calx talis non comburit in igne,&glutem piscis salnat ab igne,& alumen iamenum, & sanguis salamandræ, & fuligo furni vel lebetis: quando igitur ex istis omnibus aut quibusdam fit linimentum,non offendit ignis albumen oui & maluauiscum,& habent iuuamentum in hoc.

Si vis vt tota domus appareat plena serpentibus. Accipe ie pinguedine

dine ſerpẽtis, & parum ſalis in ea pone,&accipe pannum exequiarum,ac ſcinde ipſum in quatuor fruſta,deinde pinguedinem,& pone ipſam in omni panno: ſi ſic facias quatuor licinia,& accende ea in quatuor angulis domus cum oleo ſambucino, & in lampade noua,& fiet quod dixi.

Licinium quod cum accenditur in domo,videbis res volantes virides vt paſſeres, & aues, accipe pannum exequiarum recentem, & pone in eo cerebrum auis,ac pennas caudę eius, & inuoluendo fac eis licinium, ac pone ipſum in lampade noua viridi, accende ipſam in domo cum oleo oliuæ,& res quæ erunt in domo, fient virides valde, & videbitur quaſi volant virides ac nigræ.

Vt domus videatur tota viridis & plena ſerpentibus, ac imaginibus timoroſis: accipe cutem ſerpentis ac ſanguinem alterius ſerpentismaſculi,

& adipem alterius ſerpentis, aggrega illa tria, & pone ea in panno exequiarum, & accende ipſa in lucerna noua.

Si vis facere candelam vel liciniũ, quæ cum accenditur, agitatur & ambulat, accipe cutem lupi, cutem canis, & fac ex vtriſque licinium, & accende ipſum cum oleo oliuæ, & ſtatim moucbitur.

Quando vis accendere lucernam, ex quo valde timeat quis. Accipe pannum lini nouum album, & fac ex eo licinium, & pone in concauitate eius cutem ſerpentis, & ſalem groſſum, & ſacratum oleum oliuæ, & da cui vis, & ſtatim cum accenſum fuerit ipſum, trepidabit, & timebit valde.

Dicunt Philoſophi, quod ſyncipput eſt prima pars capitis, & ex ſyncipite hominis parum poſt mortem generatur vermis, cumq; prætereunt ei dies

ei dies ſeptem, vermes illi ſunt muſcæ, & poſt quatuordecim dies ſicut dracones magni, quorum vnus ſi momorderit hominem, morietur ſtatim: quod ſi tu acceperis ex ea, & coxeris illud cum oleo, & feceris ex eo candelam in lucernam æris cum licinio ex panno exequiarum, videbis ex eo rem magnam, & formas, quæ narrari non poſſunt cum timore forti.

Experimentum mirabile, quod facit homines ire in ignem ſine lęſione, vel portare ignẽ, vel ferrum ignitum ſine læſione in manu. Recipe ſuccum biſmaluæ & albumen oui, & ſemen pſylij & calcem, & pulueriza, & cõfice cum illo albumine oui ſuccum raffani, ex hac confectione illinias corpus tuum vel manum, dimitte ſiccari, & poſtea iterum illinias, & poſt hoc poteris audaciter ſuſtinere ignem ſine nocumento.

Si autẽ velis vt videatur ardere illud linitũ, aſperge de ſulphure viuo bene puluerizato, & videbitur comburi, cum accenditur ſulphur, & nihil ei nocebit, ſi flammæ candelæ, quam quis tenet in manu, colophoniam vel picem græcam inſufflaueris ſubtiliſſime tritam mirabiliter auget ignem, & vſque ad domum porrigit flammam. Vt ignem illæſus portare poſſis, cum aqua fabarum calida calx diſſoluatur, & modicum tere reboæ demislina, poſtea parum maluaueſci adiicias, quibus inſimul coniunctis vel commixtis palmam illinias, & deſiccari permittas: & ſic ignem illæſus portare poteris. Et eſt verum & experimentatum.

Aquam ardentem ſic facias: recipe vinum nigrum, ſpiſſum, potens ac vetus, & in vna quarta ipſius diſtemperabis viuæ calcis ſulphuris viui, ſubtiliſſime puluerizati, tartari de bono

bono vino & ſalis communis albi groſſi, poſtea pones in cucurbita bene lutata, & deſuper poſito alembico, diſtillabis aquam ardentem, quã ſeruare debes in vaſe vitreo.

Ignem græcum ſic facias: Recipe ſulphurem viuum, tartarum, ſarcocollam, picolam, ſal coctum, petroleum, & oleum commune, fac bullire bene, & ſi quid imponitur in eo accenditur, ſiue lignum, ſiue ferrum, & non extinguitur niſi vrina, aceto vel arena.

Si vis facere, quod ceſſet omne mirabile, reſpice alias cauſas, ſcilicet agentem, ſufficiens etiam patientem, quoniam ſi vtrumque reſpicis non miraberis, quia videbis tantam aptitudinem eſſe in vna ſufficientia alterius, quod non facit admirari: quando enim vides, quod aqua frigida accendit ignem, & non extinguit ipſum, ſi tu reſpiceres cau-

ſam agentem, mirareris ſemper, quia eſſet efficiens conueniens ad hoc, ſed quando tu reſpicis materiam illius effectus, vt patet quia eſt calx & ſulphur, quod eſt valde inflammabile, ita quod nimium agens inflammat ipſum, tu vides quod nihil eſt mirabile.

Similiter quando res aliqua ſi cõburitur igne, mirabile eſt, quando vna de cauſis inſpicitur ſola. Sed quãdo ſcitur natura patientis aut debilitas agentis, nihil mirum: maxima ergo radix experimentorum naturaliũ eſt in hoc, ſcilicet vt eligam materiam paratiſſimam ad aliquid, & hoc debile agens aut fortiſſimum, & materiam valde indiſpoſitam, & faciunt ſimiliter homines aſpicere ad illam cauſam, quæ non videtur poſſe illud facere, & de illa nihil dicunt. Et tu nota iſtud, quod ſecundum iſtum modum incidit multitudo experimento-

mentorum multorum mirabilium, & de hoc narrabo tibi quædam iſtorum, vt confirmeris in virtute prædicta, & ſcias etiam excogitare ingenia experimentorum.

Si vis facere carbunculum, vel aliquam rem lucentem in nocte: recipe noctilucas lucentes quamplurimas, & ipſas contritas pone in ampulla vitrea, & claude, in fimo equino calido ſepelias, & dimitte morari per quindecim dies, poſtea diſtillabis ex eis aquam per alembicū: quam repone vaſe de Criſtallo aut vitro. Tantam enim pręſtat claritatē, quod in loco obſcuro quilibet poteſt legere & ſcribere: quidam faciunt hanc aquam ex noticulis felle muſtelæ, felle furonis, & canis aquatici, ſepeliunt in fimo & diſtillant ex eis aquam.

Aquam ardentem ſic facias, recipe ſerpentinam, quam diſtillabis per alembi-

alembicum velut aqua ardens exibit: etiam miſce vino aut cui vis, & accenditur ſi appropinquas ei candelam.

Ignis volans : Accipe libram vnam ſulphuris , libras duas carbonum ſalicis, libras ſex ſalis petroſi: quæ tria ſubtiliſſime terantur in lapide marmoreo, poſtea aliquid poſterius ad libitum in tunica de papyro volante, vel tonitrum faciente ponatur.

Tunica ad volandum debet eſſe longa, gracilis, puluere illo optime plena, ad faciendum vero tonitrum breuis, groſſa & ſemiplena.

Ad congregandum mures vel ſerpentes. Accipe ſerpentem in aliquo vaſe multis foraminibus perforato incluſum, & accende ignem de ſtipulis in circuitu, ſtatim ſerpens ſibilabit, ad cuius clamorem omnes concur-

concurrunt. Et ſic etiam de muribus intelligatur.

Nota, quod ſi coxeris vnum ſerpentem vel vermem, & de maſſa illius vermis detur alicui comedere, intelliget quando canunt. Hoc probatum eſt.

Dicitur etiam quod herba ſaponaria lauat maculas vnctuoſas de pannis.

COMMENTATIO
DE MAGNETICA CVRATIONE VVLNERVM CITRA SVperſtitionem, dolorem, & remedij applicationem.

Authore
R. G. M. D.

QVeſtio quam tractandam ſuſcepi, verſabitur in eo potiſſimum, an vnguentum armarium, quo etiam vnum, duo vel plura miliaria vulneratus abſens ſanitati reſtituitur, telo ſeu inſtrumento, quo vulnus inflictum eſt, eo tantum delibuto, cauſam habeat in natura, an vero impoſtorium

ſtorium ſit, vel veneficum? Ac principio quidem non poſſum hic non meminiſſe, quod, cum eſſem in Suecia apud L L. quendam & Generoſum Dominum, duo ex ipſius miniſtris poculis inuicem certantes à verbis ad verbera deuenirent, alterque alterius femur dextrum cultello ſatis profunde punctim vulneraret, cumque Chirurgus haberi protinus non poſſet, erat enim aula ab vrbe remotior, ecce vxor Groſſi illius Domini Fœmina nobiliſſima, naturæq; rerum non ignara, non applicato remedio ipſi vulneri, vllum citra dolorem id curauit, cultello tantum, quo vulnus erat inflictum, peculiari vnguento deliburo. Et vulgi experimẽtum notius eſt, cũ aculeos vel clauos pedum plantis infixos detrahũt, lardoq; elixo immittunt, & ita partem ſauciatã ſeu vulnus abſq; inflammatione & dolore cõſolidant. Quæritur

igitur, quid cauſæ habeat in natura actio hæc admirabilis? Non deſunt, & inter eruditos quidam, qui naturaliter id fieri poſſe plane negant. Alij aſtruunt, vulnus quidem ipſum naturaliter curari, ceremonias a. magicas eſſe, impoſtorias, ludicras & ad ſpeciem confictas. Verum cum ab illis etiam frequentiſſime iſtam adhiberi curam ſciam, qui religioſiſſimi & ea ac fama eſſent, & nullum nec dicto nec facto in diuina oracula fiat delictum, nondum video, quomodo ſuperſtitio vel impoſtura hic locum habere poſſit. Superſtitionem enim quamcunque deliram eſſe & inanem religionem in confeſſo eſt, quotieſcunque ſcilicet homo dicit vel facit boni conſequendi, vel mali cuiuſpiam vitandi cauſa, quod neq; naturalem, neque præternaturalem vim habet ad effectum intentum, vt ſi quis in flumine ſeminet, vel littus aret,

aret, dicendus esset operari vanitatem, quia seminandi & arandi finis est messis, quem finem hęc eius actio consequi nequit. Sic superstitione & vanitate non caret, cum aqua benedicta bibitur contra infirmitatem, & spargitur ad fertilitatem, balnea adhibere in vigilia natiuitatis contra febres & dentiũ dolores, non comedere carnes in die natiuitatis Domini contra febres, honorare S. Nicolaum pro acquirendis diuitiis, ire ad S. Valentinum contra morbum caducum, pellere eundem prolatis gestatisne his carminibus.

Caspar fert Myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.

Hæc tria qui secum portabit nomina Regũ,
Soluitur à morbo Christi pietate caduco.

Dentium item dolores mitescere, si quis, dum sacrum fit, dentes contingat, hæc efferens verba, os non comminuetis ex eo: portare crucem

Digitized by Google

per campos in vere circumquaque contra tempeſtates, vti amuletis ad collum ſuſpenſis, quibus inſcriptum eſt ſymbolum Apoſtolicum, vel initium Euangelij Iohannis, vel Pſalmi alicuius particula contra incantamẽta & dæmonum ſpectra, vti denique exorciſmis & coniurationibus, quæ abſque ſuperſtitioſa aliqua ceremonia adhiberi non poſſunt, quia ſcilicet non eruuntur ex ſignis & notis naturalibus, à natura ad ſignificandum aliquid deſtinatis, vt ita dixiſſe non liceat, cur & vnde creditas habent vires. Ac eiuſmodi anilium deliramentorum exempla vbique terrarum occurrunt fere quotidie, quæ lubens ſilentio prætereo, vt vana enim & ſuperſtitioſa ab inſtituto noſtro, prodigioſæque naturæ limitibus ſunt arcenda. In vnguento autem armario actionem in lucem prodire ſine vlla ſuperſtitione, fuco & impoſtura,

ſtura,tum ex ipſo operandi modo, ſi quis ſcilicet eo vtatur,tum ex ijs etiã, quæ à me in medium proferentur, innoteſcet. Nullæ hic audientur nugæ,nulla ænigmata, nulla commenta, fabuloſum nihil, inſulſum nihil, ſed auguſtiſſimæ naturæ Magnalia omnem fere fidem excedentia , eam vel maxime ob cauſam non occultanda, non reticenda, quod ad ſummam Dei potentiam ac ſapientiam laudandam venerãdamque nos ſint excitatura. Itaque in intima naturæ latifundia nos demittemus, aliamq; quam ſuperſtitionis prætextum, exquiremus eruemusq; cauſam, cuius inquiſitio,quæ difficultate nõ caret, & à pleriſq; ignoratur, ex ſequentib. petenda eſt principiis.

Omnibus & cunctis vniuerſi reb. congenitam quandam inter ſe eſſe conſortij aut diſſidij proprietatem, qua citra viſibilem cõtactum mutuo alteran-

alterantur & afficiuntur, experientia teſtis eſt, & qui negat,

Oſtendi Solem poſtulat ille ſibi.

Harum qualitatum, viriumq; abſtruſarum aç in naturæ maieſtate penitus occultarum exploratio & cognitio magia naturalis eſt, ex ſympathia rerum orta, quarum conſenſum diſſidiumque qui nouerit, Magiæ dicetur peritus, iisque vtens occulte, admiranda poteſt producere & incredibilia vulgo, vt non niſi auxilio dæmonum talia facta eſſe putentur, propterea quod modus efficiendi nõ vtique eſt manifeſtus. Eſt enim hoc myſterium aliud nihil, quam Sympathiæ Antipathiæque ſuperiorum & inferiorum ſcientia.

Sympathia mutua quædam conſenſio eſt inter res Phyſicas, qua ſe amice amplectuntur: alij compaſſionem vocant. Galenus 3. *de ſimpl. med. cap.* 5. vtitur nomine amicitiæ. Plin.

l. 37. cap. 4. vocat concordiam. Cic. *de fat.* grauiſſimis veriſſimisque verbis conuenientiam naturæque continuationem, licet enim diſſita ſunt ferri & magnetis corpora, ita tamen natura in ijs continuatur, vt etiã conueniant in vnum. Idem naturæ cognationem dixit. Bapt. Porta conſenſum: alij concentum & ſymphoniam per Metaph. alij naturalis beneuolentię nexum. Antipathia rerum mutua quædam affectio eſt, qua ſe auerſantur. Gal. & Plin. pugnantiam vocant atque diſcordiam: alij diſſenſum, inimicitiam, diſſidium, ſimultatem: qui vero etiam per qualitatem infeſtã eam definiunt, qua mediante mutuis ac cæcis diſſidiis ſe res naturales quædam afficiunt, non procul à veritate recedunt, vt nec hi, qui reſiſtentiam, quæ videlicet reſiſtit vel impedit, ne actio ab agente in patiẽs poſſit introduci.

Quem-

Quemadmodum igitur ex ſympathia ſuperiorum & cœleſtium virtutum oritur attractio, & in locum terrenum inferioremq; deductio, ita ex antipathia reſiſtentia. Vnde Platonici Magiam vocarunt attractionem vnius rei ab altera, ex naturæ quadam cognatione ortam.

Iam vero mundi huius partes omnes, ceu vnius animalis membra, ab vno pendentes authore & principio, vnius naturæ coniunctione invicem copulãtur, ideo ſicut in nobis cerebrum, cor, pulmones, iecur, & reliqua à ſe trahunt inuicem aliquid, mutuoq; ſe iuuant, vt vno illorum aliquo patiente compatiantur, ita etiam ingentis huius animalis membra, id eſt, omnia mundi corpora cõnexa ſimiliter mutuant inuicem naturas & mutuantur, & ex communi hac cognatione communis naſcitur amor, & ex amore communi communis

munis attractio. Hinc magnes ferrum, Sol flores multos ad se trahit, hinc plantæ heliotropiæ ad Solis, Selinetropiæ & Lunisequę ad lunæ motum vertuntur.

Quamobrem in terra aspicere licet quidem Solem, Lunã & reliqua, sed pro qualitate terrena, in cœlo autem & lapides, & plantas, & animalia sed pro natura & modo cœlesti, vt ita in infimis suprema, & hæc in illis sint agnoscenda & quærenda Fatali enim lege Deum sanciuisse, vt inferiora supernis ancillentur, formamq; vnicuiq, suam sidereo lapsu viribus cumulatam immisisse, & ne continua desisteret rerum procreatio, singula semen proferre iussisse, vt quæ mutationibus obnoxia essent, continua serie, & lege generarentur ac corrumperentur, nemo inficiaturus est, nisi sacris pariter & profanis monimentis contradicturus, naturæque ordinem

ordinem deſtructurus, vt ita ſpectabilem illam in animalibus, mineralibus & vegetabilibus ſympathian ac antipathian, non aliunde dependere, quam ex cœleſti ſiderum influxu impreſſioneque, pro vniuſcuiuſq; ſpeciei conſtitutione, indiuiduis vel omnibus, vel pro ſingulari complexionis gradu aliquibus tantum ſpeciei eiuſdem congenita, omnino ſtatuendum ſit. Vnde cum Sapphyrus oculos non lædat, repertus tamen vnus eſt, qui prima applicatione aciē viſus obtudit. Et in Auſtria Gemelli ſolis obiectis ad ianuam corporis lateribus feras aperiebant, quod certe admiratione non caret.

Verum quib. mediis res quædam naturales ſibi copulentur inuicem, difficile eſt hic dicere ex Philoſophia communi. Quod enim alteri coniunctum eſt, aut eſt eius eſſentia: aut eſſentiæ proprietas, aut ineſt ei vt

forma

forma ſubiecto, aut id attingit, vel ſicut tranſmutans, id quod tranſmutatur, vel ſicut ars ſubiectam ſibi materiam. Moſes dilucide quinque inuicem connexa expreſſiſſe videtur. Cœlum & terram, terram & inanitatem, abyſſum & tenebras, Spiritum Dei & aquas, lucem, & corpora. Primus igitur connexionis modus deſignatur per terram inanem & vacuam. Vacua enim & inanis terra eſt materia ſua, niſi formis aliunde adimpleatur.

Secundus connexionis modus per tenebras ſignificatur ſuper faciem abyſſi.

Tertius per lucem corporibus oborta m.

Quartus per cœlum & terram, illud enim huic coniungitur, vt efficiens patienti, & tranſmutans cauſa corpori tranſmutando.

Quintus per Spiritum Domini.

Sed

Sed videamus quomodo hæc ſe habeant in nobis. Terra terrenum corpus eſt, inane vita, vacuum ſenſu, ſuperque ipſum ſunt tenebræ, torpor, mors, inſenſatio, immobilitas.

Lux vita eſt, quæ illud vegetat, mouet, excitat, ſenſuque reddit præditum.

Cœlum animus eſt & fons illius lucis.

Spiritus Dei intellectus eſt, lumen diuini vultus. Ratio igitur huius cõnexionis & conſequentiæ eſt, corpus eſſe inane ex ſe, ſuas habere tenebras, tum proxime iungi luci, per lucem connecti cœlo, per cœlum ſubſtantiæ ſpiritali, vt videre eſt ex ſequentibus.

Abyſſus.
Tenebræ.
Inanis vita.
Terra vacua ſenſu.

Lux

Lux vegetans, vitamque
reddens.
Cœlum lucis fons.
Spiritus.

Viden' quo ordine res creatæ affinitatem inuicem conſequantur? Viden' naturalis beneuolentiæ nexum ac copulam? Ecquænam vero hæc Philoſophia eſt, inquit aliquis? Non certe vulgaris illa, quæ ex ſenſu, materia, & qualitatibus manifeſtis omnia diiudicat, ſed cœleſtis, abſtruſior ſcilicet & profundior.

Inter corpus & animam ſubſtantias longe inuicem diſtantes, opus certe fuit medio vinculo, quod tam diſtantes naturas inuicem copularet, cui muneri delegatum eſt tenue illud & ſpiritale corpuſculum, quod & Medici & Philoſophi Spiritum appellant. Hunc Spiritum copulantem diuiniorem eſſe quam elemēta, cœloq; reſpondere proportione ipſe Ariſto-

Atiſtoteles ſcribit. Et quemadmodum omnis cœlorum virtus vehiculo lucis transfertur ad terram, ita omnis animi virtus, omnis poteſtas, vita ſcilicet motus & ſenſus lucido Spiritu intercedente ad corpus terrenum commeat & transfunditur. Vt autem ea quæ dixi, maiorem mereantur fidem, memorabilia quædã antipathias ac ſympathias exempla ex non leuis authoritatis authoribus in medium ſunt producenda. Quod dum facio, rogo vt audiar benigne & cum attentione.

Ac primo quidem ſpectabilis antipathia in venenis cernitur. Non enim omni veneno, teſte Gal. *l. de antid.* quodlibet aduerſatur antidotum, vt enim ſua cuiuſque veneni ſpecies, ita ſua cuiuſq; eſt antidotus.

Contra Toxicum Scytharũ, quod conſtabat ſanguine humano & ſanie viperina. quo ſagittas & telas inficiebant.

ciebant, irremediabile ſcelus, mortem leui tactu accelerans, Cantharides peculiarem habere vim traduntur, quibus ſi aduerſus alia venena quis vteretur, nihil certe efficeret, teſtante eodem *l. de antid. c.* 29. Paulo Ægineta *l.* 5. & Dioſcor. circa *libr.* 6. *initium.*

Paſtinacæ marinæ ſeu Trigonis radio ſuper caudam eminente nullum vſquam eſt venenum arboribus execrabilius, radici enim infixum eas enecare, armaque vt telum perforare. vi ferri & veneni malo Plin. *l.* 9. *c.* 48. author eſt.

Aconito rutham aduerſari maxime idem *l.* 20. *c.* 13. Laſerpitium telorum & ſerpentum venena extinguere, *l.* 22. *c.* 23. adamantem venena facere irrita madendo, lymphationeſque abigere *l.* 37. *cap.* 4. prodidit. Et authoritati ſuffragatur experientia. Scribit Galenus *l. de theriaca ad Piſon.*

Q trifo-

trifolium coctum demorsis à vipera impositum dolores tollere: at sano cuipiam impositum dolores afferre, quales à vipera læsi patiuntur. Scaliger *exerc.* 353. *sect.* 5. huius secreti reddit quidem rationem, sed magis pro ingenio suo subtilem, quam veram. Hæc de venenis.

Sed quid dicam de inuicta illa adamantis vi duarum violentissimæ naturæ rerum contemtrice, quæ hirci no rumpitur sanguine, nec aliter quã recenti calidoque macerata.

An non hoc præclarum naturalis dissidij specimen est? Cuius hoc ingenio inuentum? quoue casu repertum? aut quæ fuit coniectura saltem experiundi rem immensi secreti, & quidem in animalium sordidissimo nimirum hirco. Numinum profecto muneris talis inuentio omnis est, inquit Plinius, nec quærenda in vlla naturæ parte ratio est, sed voluntas.

Cum

Digitized by Google

Cum magnete quoque adamantem tantum dissidere graues authores tradunt, vt iuxta positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.

Leo cunctis animalibus tremendus, qui nec tygrim metuit, nec vrsum, gallum tamen his longe imbecilliorem expauescit. Quærit aliquis causam naturalem? An quia in oculis galli est vis quædam, vt quidam existimant, oculis leoninis contraria? Certe huius rei causam non à materia, non à sensibus licet assignare, aliàs in labyrintheas perplexitates deuolueremur, sed solum ab ordinis superni contemplatione. Proclus *libr. de Mag.* hanc affert veritatem. Sunt, inquit, animalia solaria multa, vt leones, galli, luminis cuiusdam solaris participes. Gallus igitur timetur à Leone, quia præsentia

luminis ſolaris magis conuenit gallo quam Leoni, quod inde apparet, quod gallus quibuſdã quaſi hymnis applaudit ſurgenti ſoli: quandoque etiam dæmones ſolares viſi ſunt leonina fronte, quibus cum obiiceretur gallus, repente diſparuerunt, quod quidem inde procedit, quia ſemper, quæ in eodem ordine conſtituta inferiora ſunt, cedant ſuperioribus ſeu reuerentur ſuperiora. Hæc Proclus.

Aranei cum bufone & ſerpentibus diſſidium notum eſt: hoſte enim conſpecto filo ſe librat in caput ſerpentis porrectæ ſub vmbra arboris ſuæ, tantaq; vi morſu cerebrum apprehendit, vt ſtridens ſubinde, vertigineq; rotata, nec filum deſuper pendentis rumpere, adeoque fugere nequeat, nec finis ante mortem.

Fraxini & ſerpentis antipathia tanta experimento prodita eſt, vt ne matutinas quidem occidentesue vmbras

bras etiam longiſſimas arboris huius ſerpens attingat, adeoque ipſam procul fugiat, ſique arboris fronde gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quam in fraxinum fugiat ſerpens.

Sed ad vegetabilia pergo, inter quæ conſpicua quoque & euidens ſimultas eſt. Nam quercus in oliueto nata fugit, introrſum commeat, & exareſcit, olea vero in quercetu radices maxime relinquit noxias, quercusque enecat. Eadem iuglandem iuxta ſata aut emoritur ipſa, aut infirma ſemper eſt, aut iuglandem nucem talem efficit. Quin & nucis vmbra omnibus ſatis eſt inimica & quæcunq; attigerit, veneno invadit ilico, nocetque ſtillicidij ratione, cum humor è frondibus diffunditur.

Sic braſſicæ & vitis odium ſpectabile eſt. Vitis enim cum intortis clauiculis omnia ſoleat cõplecti, ſolam

Digitized by Google

refugit braſſicam, nam prope eam ſentiens, in aduerſam ſe torquet partem, dumq; coquitur braſſica, vinũq; vel ſi pauciſſimũ inſtilles, nec coquitur, nec color ipſius conſtat: ipſum vero olus cyclamino & origano perareſcit, & vitis lauri odore euadit deterior, cicutaque vino obtunditur.

Polipodium cancro adeo eſt antipathericum, vt hic illi admotus tum ingentes cruſtas, tum vngues abiiciat à pedibus. Filix & arundo in tantum ſibi aduerſantur, vt neutra iuxta ſe alteram ferat, vnde nec in arundinetis filices, nec in filicetis arundines videntur.

Alyſſum, hypericum, & moly herbas in tantum malignis ſpiritib. antipatheticas eſſe, vt quemadmodum ſuporum capita ianuis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas, ab hominibus & pecore veneficia, ne faſcinen-

ſcinentur, arcere, grauiſſimi autho-
res tradunt, Homer. Odyſſ. 10. 11. Pli-
nius *l.* 28. *cap.* 10. Dioſcorid. *l.* 3. *cap.* 17.
Vnde Homerus Magiæ peritiſſimus,
Mercurium contra veneficia Circes
Moly herba Vlyſſem muniuiſſe ce-
cinit. Et in Hiſtoria Tobiæ, vt ſacra
etiam huc referamus, legitur, ange-
lum cordis particulam, piſcis è flu-
mine extracti docuiſſe Tobiam ſuper
carbones proiicere, ſicque excitato
fumo omne dæmoniorum genus ex-
tricari tam à viro quã muliere. Pro-
inde his & ſimilibus Periaptis & a-
muletis, quæ ratione nituntur natu-
rali, fides non eſt deroganda, de quo-
rum ſcilicet ſubſtantia, profluuia in-
ſpirata vires corporis reficere, vene-
niſque poſſunt reſiſtere.

Sic Peoniæ albæ radix & alcis vn-
gula epilepſiæ, ſemen melanthij ca-
tarrhis antipathetica ſunt, ſtercus lu-
pi doloribus colicis, non quidem vt

inepte & inſcite quidam putant, incantationis viribus, ſed quod ab illorum ſubſtantia vapores quidam velut atomi defluant, qui inſpirati cerebrum ſiccent, morbique cauſam ſuis viribus alterent. Vnde Galenus experientia horum edoctus, periaptis inquit, ſic confidere oportet, vt ſubſtantia ipſorum, non incantationis verba, iuuet *l.* 6. *&* 10. *de ſimplic. medic.*

Contacta tridente torpedine marina, piſcatoris manus obſtupeſcere, & Echneida piſciculum, quamuis velocem venterum agitatæ procella nauis curſum ſiſtere videmus, non quidem incantationis verbis, ſed ob cauſas modo commemoratas. Stupendum certe naturæ miraculum, minutiſſimum etiam piſciculum, qui maris & terræ portenta ſua natura ſuperat, remis velisque concitatam nauim quantumuis magnam, non alio

modo

Digitized by Google

modo quam adhærendo remorari. Videatur Plin. *l.* 9. *cap.* 25. & *l.* 23. *c.* 1. Fertur Actiaco Marte tenuisse imperatoriam nauem Antonij, properantis circuire & exhortari suos, donec transiret in aliam, ideoque Cæsariana classis impetu maiore protinus venit. Tenuit & nostra memoria Principis Caij ab Astura Antium remigantis. Quin & auspicalis piscículus est, siquidem nouissime in vrbem reuersus Imperator ille, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio statim causa intellecta, cum è tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus, qui id quærerent, circa nauim inuenerunt adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se incederet. Constabat peculiariter miratum, quo-

modo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in nauigium receptus. De hoc Laurentius Lippius Oppiani interpres erudite luſit his verſibus.

Pellebant velis, pellebant remige nauem;
Ventus erat, cæptum ſum remoratus iter.
Solus ego Actiacam potui retinere carinam,
Et potui Cæſaris roſtra tenere ducis.
Semipedalis ego: quis hæc corpuſcula credat
In curſu tantas detinuiſſe rates?

Fatendum certe, naturam hic abſtruſam, & ſenſibus inexplicabilem. Præter enim ea, quę dicta modo ſunt fatale quoddam indicium & præſagium in eo obſeruatum eſt, quaſi futuri mali præſcio periculum imminens cupienti auertere. Tenuit legatos Periandri de caſtrãdis pueris nobilibus, tanquam indignum iudicante natura, homini id, quod conſeruationi ipſius donatum eſſet auferre, iccirco

iccirco nauem inhibuit,& à curſu reuocauit. Tenuit nauem Caij Cæſaris non multo poſt Romæ interfecti, condolens miſero Cæſaris exitio ipſa natura cupijt ab ipſo malum auertere, atque ab infauſto curſu reuocare. Hæc de Echneide fere omnia ex Plinio.

Cæterum in experimentis eſt, hirundinis cor palpitans deuoratũ memoriam deperditam reſtituere, adq; ingenium valere & intelligentiam.

Cor turturis viuũ calensq; comeſum ad febres intermittentes omnes.

Anatem viuam ventri admotam compeſcere tormina.

Viuentem araneam iuglãdis teſtis incluſam colloq; ſubnexam pellere quartanam : ranarum oculos ante Solis ortum eruros, viuis illis in aquã dimiſſis, alligatos, ſicut & vnguium præſegmina in pedibus & manib. febricitantis, cancri viui dorſo ſuperli-

gata, cumque eo in aquam fluentem proiecta, tertianas febres:

Talpæ viuentis dentem odontalgian sanare contactu:

Hominis caluam mederi epilepsiæ:

Osticulum è poplite leporis nephritidi & spasmo flatulento.

Intestinum lupi colicis doloribus.

Cor corui gestatum ad inhibendum somnum, cor vespertilionis ad eundem valere ad accersendum:

Ossa capitis equæ fugare erucas palo in hortis affixa:

Graminis genus, 7. habens internodia, efficacissime contra capitis dolores adalligari:

Herbam, canis vrina irrigatam, euulsam, ne ferro tangatur, luxatis mederi celerrime:

Florente cicuta & violis, si qui morbi homini acciderint, quoties florere eas herbas contigerit, licet sanatum,

Digitized by Google

ſanatum, recidiuam tamen quandam eorum ſentiſe compertum eſt. Non prętereunda hic, quæ Plin. *l.* 24. *cap.* 17. & 19. Item *l.* 25. *cap.* 4. & *l.* 26. *cap.* 4. ex Pythagora, Crateua, Democrito, Apollidoro, Cleemporo Medico & aliis recenſet, de mira quarundam herbarum efficientia ac virtute. Adamantide herba, Armeniæ, & Cappadociæ alumna admota, leones reſupinari cum laxo hiatu:

Arianide, quæ in Arianis naſcitur colore ignea, collecta Sole exiſtente in Leone, ligna accendi tactu oleo peruncta:

Aeſchynomenem, appropinquante carpentis manu contrahere folia.

Theangelide in Libano Syriæ, Babylone, & Suſis Perſidis proueniente, pota, homines diuinare.

Gelotophyllide in Bactris & circa Boryſthenem naſcente, pota cum myrrha & vino, varias obſeruari ſpe-

cies,ridendique finem non fieri, niſi potis nucleis pineæ nucis cum pipere & melle in vino palmeo.

Aethiopiden in Meroe creſcentem hydropicos vtiliſſime bibere è mulſo.

Ophiuſam in Elephantine Æthiopiæ conſpicuam,potam, terrorem ac metum ſerpentũ imprimere & quandoq; ex eo mortem, obq; id ſacrilegos cogi illam bibere: aduerſari autem vinum palmeum.

Helianthe in Ciliciæ montib. maritimis cum adipe leonino decocta ac inuncta,corpus aſpectu reddi iucundum ac venuſtum, Perſarum Regibus in frequenti olim vſu.

Crocidis cõtactu phalangia mori.

Oenotherides è vino aſperſu omnium animalium feritatẽ mitigari.

Herbam in capite ſtatuæ natam alligatam in lino ruffo, capitis dolores ſedare confeſtim.

Herbam

Herbam quæ naſcitur ſupra ſimeta ruris, efficaciſſime pollere contra anginas ex aqua potam.

Contra ſumma veneficia pollere Moly laudatiſſimam herbarum Homero, circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ prouenientem: & dodecatheon herbam omnib. mederi morbis aqua potam, quæ maximam etiam à Moly authoritatem obtinuit.

Aethiopide amnes ac ſtagna ficcari coniectu, tactu clauſa omnia aperiri.

Achimenide cõiecta in aciem hoſtium, trepidari agmina, ac terga vertere.

Laracen à Perſarum Rege dari ſolitam legatis, vt quocunque veniſſent, omnium rerum copia abundarent.

Aemilianum Scipionem Carthaginis patefeciſſe portas peculiari herba, & pontinas paludes Aethiopide ſicca-

ſiccatas antiquæ hiſtorię memorant: Et quis occulta naturæ inſignia omnia attigerit? Quis vero cauſas hic explicare vnquam valuit? aut quæ ſaltem fuit coniectura omnia hæc experiundi? Vere numinis cuiuſdam muneri hãc inuentionem acceptam ferunt naturæ Prudentes.

Atqui ex hoc fundamento pendent quoq; phyſicæ ligaturæ, vt cum præſentia adamantis Magnetis actionem, ne ferrum trahat, & oleum ne ſuccinum paleas alliciat, ſiſtit & ligat. Quemadmodum igitur, ſi alterum cum altero conſpicitur habere inimicitiam ad noxias, quas illud inferre poſſet, vſum eius eſſe poſſe veteres pro remedio arbitrati ſunt, in quo etiam ſucceſſus fauit coniecturæ, ſic in ſympathiis occulti aliquid venari licebit, quod ad aliquod malum amouendum vel expellendum vires habeat ſocias.

Et qui-

Et quidem herbarum cum aſtris, cõſenſus admirandus ſpectatur quotidie. Euidentiſſimum Solaris præſentiæ teſtimonium & documentum præbent cichorij flores, Epaticis affectibus ſingulare remedium, qui ſole Oriente ſe expandunt, eodem occidente ſe contrahunt.

Lupinus quotidie cum Sole circumagitur, ita vt nubilo etiam cœlo agricolis horas monſtret: ſimiliter & malua motui ſe Solis accommodat. Pulegium in coronariis florere ipſo brumali die pleiadib. occiduis, quis non animaduertit?

Veratrum nigrum adulterinum, flores circa Decembris finem in viridi flaueſcentes proferre, conſpicuum omnibus eſt.

Laurum & ficum è cœlo non tangi, ſicut nec vituli marini tergus, nec hyænæ pellem, nec vitim albam, authores non proletarij prodiderunt, quare

quare nautæ iis vela muniunt, ne fulmine icta deflagrent atque decidant. Hoc Octauius se muniebat Augustus, Lauro Tiberius Cæsar, quam pro corona gestabat, ne vterq, scilicet tonitru afflaretur, non solum enim cõtra fulminis impetum, verum etiam aduersus fulminis ictum retorquentem habent naturam. Sed mirabilis est Sympathia illa inter metalla & diuinam virgulam seu bifidum illum furculum ex corylo decisum, quo metallarij venas auri argentique feraces explorant, frustra certe quis hic ad manifestas qualitates confugerit.

Verum enimuero Orpheo, Theophrasto, & Proclo iudicibus, lapidibus longe efficacior cum astris & spiritibus consensus est quam herbis, non astrorum enim nominibus, sed animis quoq; hominum imperitare videntur. Nam iaspis non modo sa-

crificia

crificia diis reddit accepta, ſed Achates animos coniugum conciliat, & ſupplices voti quoq; reddit compotes. Et lapides virtutis aſtrorum conſortio frui, nemo inficiabitur, qui ferreum cõpaſti perpendiculum, cuius obtutu atq; inſpectione naucleris velificatio perficitur, magnete cõfricatum, Septentrionalis poli ſtellam ſemper ſpectare animaduertit, & qui Selenitin lapidem ex Arabia candidum, pro Lunæ incremento creſcere & decreſcere obſeruat.

Turcoſia gemma, quoties mutari, atque expalleſcere, natiuoq; calore deſtitui conſpicitur in geſtante vel langueſcente vel valetudinario? Sed magis ſtupendum, quod imminens periculum coloris huius gemmæ in fuliginoſum vel ſereniſſimi cœli cõtrarium mutatio, vel etiam maculæ alicuius aut fiſſuræ apparentia præſagire dicitur.

Smara-

Smaragdum aduerſus febres valere & venenum, authores non leuis authoritatis tradunt, imo frangi, ſi à veneno vincantur, rumpi quoque in prima virginei pudoris excuſſione, ac quouis illegitimo coitu inquinari, nitoremq; amittere, quo oculorum laſſitudinem demulcere ſolebat. Deperit enim vis inſita omnisque nitor ſordeſcit. Itaque dubium nullum eſt, inuiſibilem latentemque vim gemmas eiaculari atque euibrare. Licet enim ſint res ſolida, calor tamen natiuus, & confricatio contactuſq; vim eliciunt, cordique ac cerebro illam communicant. Hanc vero aſtrorum & lapidum Sympathian, ſeu conuenientiam non puto quenquam fore, qui ad manifeſtas qualitates ſit relaturus, cum ſint ſaltem vmbræ rerum, & inſtrumenta, organaque naturæ cuiuſdam ſublimioris ac præſtantioris, prætereaque nec odores habeant, nec

nec colores, ſimilesque poteſtates, vt ita iniurius ſit in naturam iniuſta ac fallaci quatuor qualitatum cenſura omnia explorare. Medicamenta quędam à ſimilitudine prodeſſe, miroque modo à morbis liberare quotidiana documenta teſtantur & experimenta, ob nullam cauſam aliam, quam quia vnum alterius Anatomiam habet & ſignaturas. Atq; huc pertinet modus demonſtrandi per ſimilitudinem, quo ſæpe ſummus rerum Creator diuinas & occultas res ſolet patefacere, vt ſupremarũ idearum ſimilitudinem referant atq; demonſtrent. Omnes enim herbæ, flores, arbores, aliaque ex terra naſcentia ſunt ſigna magica à Deo conceſſa, per quorum cognitionem ad veram medicinam, id eſt, ſignatum peruenitur. Signa igitur, quæ natura externe prodit, intrinſecæ cuiuſdam ac latentis virtutis indicia ſunt, ſemperque

Digitized by Google

perque ſignatum internuſq; nucleus per externam phyſiognomiam deſignatur. Hinc multorum morborum curatio, quia promanant ab aſtrali impreſſione firmamenti maioris mundi, non promiſcuis remediis perficienda eſt, ſed per influentiam aſtronomicam, id eſt, per ea vel cum iis, quæ analogiam habent ad maiorem & minorem mundum, in quibus eſt vera magnetica vis firmamenti, & impreſſio cœleſtis morbis reſiſtendi. Hanc influentiam ac ſignaturam à ſtellarum complexu ac radiis plantis quibuſdam illis ſubiectis, videmus impreſſam, quæ in hypericone ac perſicaria eſt euidentiſſima maximeq, conſpicua, illud enim exilibus foraminib. perforatum, hæc foliis macula rubētibus, ac ſi gutta ſanguinis ſuper ea decidiſſet, cernitur.

Eiuſmodi quoque ſignaturæ reperiuntur, in aro, dracunculo & aliis, morbo-

morborũ cognitioni maxime inſeruientes, vt ita non ſufficiat Botanico naturasq, herbarum inueſtiganti, in externis ſignaturis acquieſcere, hoc eſt, externa tantum plantarum veſtimenta diuerſoria & habitationes deſcribere, internum autem illud principium operandique virtutem, quæ eſt creatoris imago creaturis implantata, ſomnolento & noxio præterire ſilentio. Omnino enim neceſſe eſt, iu rerum natura dari aliquid, in quo roſa latitet hyeme, quod ſcilicet elementis vtcunque etiam modo corruptis, ſpecierũ ſignaturas inuiolatas contineat, adque nouorum indiuiduorum procreationem ſeruet incorruptas, alioquin nouæ rerum ſpecies produci non poſſent. Id vero nihil aliud eſt quam balſamũ radicale, vitale, ſpirituale, cœleſte actionũ omnium in natura principiũ, cui vni & ſoli accepta ſunt ferenda, quæ nec craſi elemen-

elementariæ, nec ſenſui, nec manifeſtis qualitatibus aſſignari poſſunt & debent. Hoc enim in corruptionibus rerum non interit, ſed elementis & mixtis qualicunque etiam modo diſſipatis, ſeruatur. Sic granum, quod terræ committitur, putreſcit, reſoluitur, perit, at radicale balſamum ſeruatur, in quo totius ſeminis anatomia & poteſtas viget, nouaq; reuolutione in mundanum theatrum progrediens nouum fabricat corpus officiis deſtinatis accommodatū. Hoc ipſum principium variis nominibus appellatur, ab aliis dicitur enim balſamus vniuerſæ naturæ, Sulphur vitale, radicale ſemen, materia prima mumia balſamita. Deliteſcit autem non in alimentario, quo perfunditur humore, nec in fæculentis & craſſis ſordibus, ſed in excellentiori quadam humiditate deprehēditur, quoniam externis iniuriis impreſſionibuſque

buſque magna vi ſolet reſiſtere, ſpecierumque ſignaturas inuiolatas ad nouorum indiuiduorum productionem conſeruat. In animantibus & plantis vniuerſam corporis anatomiam animale hoc balſamum occupat, in certis tamen animantibus certam magis partem vt cor, proque diuerſa impreſſione tinctura & confluentia, proprietate, & differentiis diuerſas quoque producit actiones. Huius igitur balſami virtute plantæ quædam partesque animalium morbis quibuſdam antipatheticę ſunt atque reſiſtunt, huius inquam balſami vi ac virtute, animalium quorundam partes corporis humani partib. ſunt ſympatheticæ, iuuando illa, corroborando atque in vigore conſeruando, id quod teſtatum faciet medicamentum à me confectum (abſit fucata iactantia) pro debili memoria corroboranda & iudicio exacuendo,

aduerſus præterea Paralyſin, Epilepſian, Vertiginem, Colicam & Arthritiden frigidam, non tantum enim ab his peſſimis corporis humani inquilinis præſeruat, ſed etiam liberat, aſſumtum, lociſq; affectis eo delibutis. Hoc eſt medicamentum, cui præparando integram hanc pene æſtatem locaui, nulli, de quo certus ſum, hactenus cognitum, & conſtat ex mere vegetabilibus, animaliumq; quorundam partibus. Ac licet quidã hoc meum inuentum, ſupercilioſa quadam fatuitate ſibi omnia tribuẽtes, ſint deriſuri, alijs perſuadentes, non poſſe Hippocratis aut Galeni aſſeclas, niſi ex Paracelſico aut Lulliano cõmentario ſapere, malo tamen ἐν τῷ ἔργῳ & experimento cum omnibus ijs, qui eo ad nominis Diuini celebrationem, & dictorum morborũ profligationẽ ſunt vſuri, acquieſcere, quam blandis ac bracteatis, vt illi faciunt

ciunt verborum lenociniis, mundum decipere. Sed ad priora. Hoc igitur radicale principium, has inquã rerum ſignaturas qui neglexerit, nec intimius inſpexerit atque cognouerit, medici nomen non meretur. Et certe ſi per nihil aliud, huius tamen miniſterij cogni tione admirabilis in ſua arte euadit medicus, quod Hippocrates, de iis pronunciat, qui morituros & ſaluandos prænouerint.

Morbos ſingulos habere ſua ſigna cognitioni inſeruientia negari non debet, eademq; quoq; ſigna reperiri in remediis à natura ita ſignatis, vt in totum & vere dixiſſe liceat, hic morbus eſt huius remedij morbus, & hoc remedium eſt huius morbi remedium, vt tuſſilago eſt remedium obſtructi pulmonis, quia gerit eiuſdem ſigna, lingua ceruina & ſcolopendriũ infarcti & tumefacti ſplenis remedium ſunt, quia ſplenis exhibẽt

ſignaturam. Vnde apparet, ex ſignis remediorum naturas cognoſci poſſe, Sympathiasque ac antipathias myſterium, tum rerum, tum qualitatum medico maximo eſſe emolumento, proindeq; ſecretioris eiuſmodi Philoſophiæ peritos, ſagacesque rerum naturalium exploratores admirandas actiones poſſe producere.

Et quoniam modus vt in aliis nõ vtique manifeſtus eſt ac euidens, ſed occultatus, miraculoſarum illarum actionum cauſam dæmonum præſtigijs aſſcribunt imperitiores, tali ſcilicet Magiæ, quæ Goëtia dicitur, à luctu, & dæmoniaca, eſt enim malorum ſpirituum iuxta ſepulchra inuocatio, cuius germana ſoror eſt Necromantia, quæ ad vocandos defunctorum manes ſanguinem humanum, quo dæmones effuſo delectantur, vel ſaltem nigri pecoris cruorem requirit.

His

His Magiæ ſpeciebus imbuti multa faciunt, quæ nullo modo per cauſas & media naturalia effici potuerunt, ſed neceſſario referri debent ad ſubſtantiam aliquam incorpoream, quæ occulte cum ipſis Magis operatur: faciunt enim ſtatuas è ligno vel alia materia loqui, & ad propoſitas quæſtiones reſpondere, mouerique loco progreſſiuo: deinde manifeſtãt etiam quædam occultiſſima, & quæ humana ratione nota eſſe non potuerunt, vt res quæ geruntur vel dicuntur in remotiſſimis regionibus, quæque quis dixit vel fecit: Hæc autem eſſe mentis cuiuſdam ſublimioris opera, quam eſt humana, prædictasque operationes non perfici cauſis naturalibus, ſed ſupra omnis corporeæ naturæ poteſtatem eſſe neceſſe eſt. Vera Magia & naturalis, quæ cauſis nititur naturalibus, licet non ita ſenſui obuiis, ſed abditioribus &

reconditis, nihil aliud eſt, quam lapidum, quam herbarum, quam mineralium, quam animalium, quam aſtrorum cum his conſenſus, vel diſſidij ſcientia, quam exacte callere & didiciſſe ſapientiæ opus eſt, legi diuinæ non contrarium.

Et hanc Magiam quam omnes ſapientes, rerumque cœleſtium & ſublunariũ ſolertiſſimi indagatores ſemper approbarunt, vt quæ in operum Dei admirationem explorantem ducat, qui callent, multarum abſtruſiſſimarum rerum ſcientia clarebunt, quamuis paucos hodie inuenias, qui exactam huius cognitionem habeãt, niſi perditos quoſdam ardelliones, qui ob pecuniæ aucupium animas dæmonibus deuouent, mentiri non erubeſcunt, omnia ſe ſcire & præſcire gloriantes, naturæ & ſpiritibus imperitare poſſe imperito vulgo perſuadentes, ſicque veram magiam nefandis

fandis nugis defœdantes, & cum Goëtia confundentes.

Cæterum, quod in præsenti nostro instituto minime prętereundum fuit, non parum enim lucis afferet & veritatis ad mysterium nostrum vlterius explicandum, in experimentis non fallacibus est, operationem aliquam esse& virtutem annulorum confectorum ex auro, argento aurichalco aut quouis metallo, stellę, cuius quis sibi virtutem conciliare cupit, dedicato, defixo in annuli cauitatem cum subiecta herba stellę huic Sympathatica, lapide: his enim animum exhilarari, morbosque profligari graues autores tradunt, Trallianus, Gordonius, Mesue & alij.

Sic Gyges Lydorum Rex annulo suo lapidem Draconis capite exemptum incluserat, sete, Regem & astãtes occisurus, vt impune cum Regina concumberet, inuisibilem reddidit.

Et Alexander Trallianus Herculis imaginem Leonem ſuffocantis annulo incluſam colicis mederi ſcribit. Ferunt & Eudæmum Philoſophum annulos contra ſerpentum morſus, faſcinationes & morbos concinnaſſe. Tradit quoque Philoſophus, *l.* 8. *antiq. cap.* 2. ſe vidiſſe præſente Veſpaſiano Imperatore, Eleazarum quendam de gente Hebræa, naribus cuiuſdam obſeſſi annulum, cuius ſignaculo radix à Salomone reperta, erat ſubdita, applicuiſſe, dæmonemq; de naribus odorantis extraxiſſe, qui cum repente in terram concidiſſet, Eleazar coniurationis Salomonis Cantico dæmonium proſcripſit. Idem Salomonem Magiæ fuiſſe peritiſſimum, & Moſen Hebræorum legislatorem in Ægypto Magiæ initiatum annulos amoris & oblinionis feciſſe, annulumque obliuionis dediſſe Aethiopiſſæ, vt ipſius obliuiſceretur,

retur, quo etiam facto in Ægyptum libere remigrasse prodidit, non quidem superstitiosa dæmonum magia, cuius eum accusabant Apollonius & Lysimachus, verum à Iosepho propterea refutati, sed ea, quæ per sacrosancta nomina & precationes, angelorumq; bonorum implorationem perficiebatur. Testes Eusebius *de præparat. Euang. l. 8. cap. 2.* Iosephus *contra Appion.* in Act. Apostol. *c.* 7. Plin. *l* 3. *cap.* 1. Magiam quoque ab Ægyptiorum sacerdotibus didicisse, & calluisse Empedoclem, Pythagoram, Democritum & ipsum Platonem in confesso est.

Vnde non omnino vana esse elicitur, quæ de cura characteristica, quæ sculptis imaginibus & de collo appensis naturales operationes perficit per cœlestes proprietates siderũ mirabili influentia cum nostris corporib. concordantium, non inquam

plane vana ſunt, quæ antiquiſſimi naturæ exploratores de verbo ſcripto ſeu characteribus & ſigillis, certis temporibus ſecundum cœli virtutem & influxum fabrefactis citra omnem, quam ſola myſterij huius ignorantia finxit, ſuperſtitionem, citra nominis diuini prophanationem & offendiculum vllamque fidei ac religionis violationem literis monimentisq; conſecrarunt, quæ licet hactenus poſtremisque hiſce temporibus occultata & abſcondita delituerunt, apud quoſdam, qui illis ſunt abuſi potius quam legitime vſi, cum ad ſuperſtitiones prolapſi, primordia non intelligentes, plus ijs tribuere ſunt auſi, quam rerum omnium creator Deus conceſſit, voluitque eſſe per ea patefacta; Tantum vero abeſt, vt hiſce imaginibus per ſe virium quid tribuam, characteresque ſeu nomina conſtellata virtu-

virtutem habere ratione figuræ, affirmem (cum figura, numerus, magnitudo, ſitus, continuique ſolutio nullius ſunt actionis principia) vt, niſi aliud ſit agens mouensque, cuius poteſtate characteres ſunt efficaces plane negem. Deus per Prophetas ſolo prolato verbo hominum ſanat: viuus ſiquidem Deus eſt, & viui Dei viuum quoque nomen, & viui nominis viui quoque literæ, viuit Deus propter ſe, viuit nomen eius propter ipſum, & viuunt literæ propter nomen, & ſicuti vitam habet in ſe ipſo Deus, ſic etiam nomini ſuo dedit vitam habere in ſeipſo, & nomen porro literis. Sunt igitur imagines ſeu characteres efficaces ratione virtutis ſeu officij à Deo vel natura ad tale nomen vel characterem ordinati. Nulla enim & virtus vel in cœlo, vel in terra, quæ non deſcendat à Deo: ſic medicamenta ſunt

corpora viſibilia, verba corpora inuiſibilia, ſiue herba ſiue verbum ſanet, in cauſa eſt Deus, id eſt, ſpiritus Dei naturæ coadunatus per verbum Fiat. Vnde ipſa herba non eſt medicina, ſed hæc in illa latet inuiſibiliter à Deo videlicet inſita. Quapropter non protinus ad orcum vſq; ſunt damnauda, inſulſeq; deridenda, quæ à ſenſibus ſunt remotiora, & cauſas habent abſtruſas.

Gemmarum miracula quis non obſtupeſcit? Plurimas certe iis eſſe facultates naturales negari non poteſt nec debet, præſertim ſi certis ſub conſtellationibus ſculptæ, imaginibusque ac ſignaturis impreſſæ fuerint & ſignatæ. Ac plane vanum eſt, quod quidam putant, effectus gemmarũ quarundam prouenire vi magica, nec naturales eſſe, proficiſciqueex Magorum ſchola, qui prætextum ſuis veneficiis quærãt per gem-

mas.

mas certis conſtellationibus ſculptas. Smaragdum mortui Domini digitis, quibus fuit geſtatus, obſidere, cognitum eſt & cõpertum. Turcoſiæ quoque vires quis non miratur? Et innumera poſſunt non tantum gemmarum, ſed etiam plantarum experimenta coaceruari, quæ ſi non vbique, & ſemper reſpondent, non arguenda ideo ſunt mendacij, quia nõ omnia vbiq; & ſemper concurrunt, & raritas effectus ſeu ſingularitas effectus non tollit cauſam in natura. Rerum enim miracula perpetrantur per debitam cauſarum naturalium agentium cum diſpoſitis patientibus applicationem, adeo occulte, vt cauſa videatur remotiſſima. Itaque veſanum eſt diabolicis machinamentis protinus aſcribere, quæ à noſtris ſenſibus ſunt remotiora, non cogitantes, latentem naturæ vim quæ diuinum diuinæ potentiæ eſt inſtru-

mentum, multum posse sine diabolorum ope & auxilio. Sic Vesani sunt, qui superstitionib. dediti etiam manifestissima pene præ ignorantia aut stolida dubitatione, ex occultis prodire causis asserunt, vt & in eodem vesaniæ pelago nauigant, qui præter odorem, colorem, & saporem nullas alias vires plantis quibusdam inesse arbitrantur, quasi naturalis illa cœlestium cum elementaribus conspiratio efficere non possit, vt præter qualitates primas tactiles & sensuales occultas etiam vires possideant sine Magicis incantamentis, & anili superstitione, id quod naturales cum experientia effectus demonstrant. Quare in singulari facto non aliam, præterquam quæ nobis videtur esse causam.

Quis enim negare potest, diuinitus aut genij alicuius virtute, aut etiam causis accidentariis & fortuitis, pol-

tis, posse produci effectum similem naturali. Et sufficit Physico ostendisse effectum talem vel talem esse causarum naturalium, aut semper, aut plerunq;. Et licet nõ semper respondeat euentus, non tamen ideo naturæ motus est denegandus, siquidem ad vnum sæpe effectum raro concurrunt causæ omnes, quod licet ex illis æstimare, quæ ob raritatem, varietatem & singularitatem pro miraculis habentur & prodigiis, hęc enim causas habent naturales, raro tamen ad effectum talem dispositas, aut omnes paratas.

Itaq; si effectus est naturalis, etiam causa talis erit, & contra. Iam autem imaginum sub certis astris sculpturarum effectus naturalis omnino est, ergo causam quoque naturalem esse necesse est. Licet vero hæc sit occulta & abstrusa, atque sensibus exterioribus remotior, nõ tamen ilico ad diabolicam

bolicam quandam potestatem confugiendum, sed attendendum, quibus auxiliis quibusque causis concurrentibus fiat aut non fiat effectus, èque mirabilibus causis naturalibusque effectis mirabilis potius Dei potentia agnoscenda & prędicanda, qui cum tantas virtutes tamque mirabiles in naturam manifestam insevit, quantus, dic amabo te, ipse in suis occultis erit? His ita præstratis, pro vita saluberrima producenda, honoribusque ac diuitiis augmentandis, Iouis sigillum atque imago fabricatur sculpiturque in lapide albo vel claro, vel etiã argento puro aut stanno, ipso tamen Ioue, quod inprimis in hoc mysterio obseruandum est, existente vel in suo domicilio, vt sagittario vel piscibus, vel etiam exaltatione, vt Cancro, libero ab omnibus impedimentis, præcipue vero à tadiis malis Saturni vel Martis: in angulo,

angulo etiam sit Orientis vel Medio Cœli, ascendens in circulo augis, directus, velox cursu, non à Sole combustus, orientalis, in gradibus lucidis, & fortunam augentibus, in Lunę vel Veneris trigono aut sextili, quę omnia diligentissime ab Astrologiæ perito obseruari necesse est.

Sic idem Iupiter contrarium operabitur, si retrogradus fuerit, combustus, afflictus à Saturno vel Marte, in malo cœli loco, non in domicilio vel exaltatione, &c. Idemque iudicium esto de cæteris etiam Planetis.

Eundem in modum fabricatur imago Martis in 1. facie Scorpionis Orientis, contra timiditatem & pusillanimitatem.

Ad fauorem Regum & Principũ conciliandum, morbosque calidos cordiales curandos, Imago Solis in auro puro prima Leonis facie ascendente:

dente: ipſe vero Sol in leone ſit fortis & fortunatus.

Ad lætitiam, venuſtatem roburq; corporis Imago Veneris poma floreſq; tenentis manu, aſcendente cum ea prima facie Libræ, Piſciũ vel tauri.

Ad ingenium & memoriam acuẽdam imago Mercurij orientis cum prima geminorum facie vel Virginis: vel contra morbos, odia, & itinera feliciter conficienda à gradu 17. Virginis vſque ad finem fere eiuſdem ſigni.

Ad podagram curandam indubitanter, valere piſcium figuram in auro vel argento, ſeu auro argento permixto, ſculpram, Sole permeante Piſces in aſcendente aut domo decima, ab infortunijs ſaluo & libero, domino etiam ſigni videlicet Ioue Saluo: vel etiam Luna medium cœli tenente Marte non præſente, & Ioue non retrogrado, ſoleque ſupra terram

terram exiſtente, ſi piſcium imago fiat in prima piſcium facie, eundem præſtare effectum antiquiſſimis monimentis proditum reperitur: in ſecunda vero facie factam ſanare tibiarum morbos, in tertia morbos genuum & coxarum.

Ad morbos gulę & colli faciebant figuram tauri in facie tertia, Sole exiſtente ſupra terram eamque in cupro multum rubente.

Ad morbos capitis difficiles & difficulter curabiles fabricatur figura arietis, Martis & Saturni exiſtentibus directis, Ioue non exiſtente in ariete, nec Venere in Scorpio, nec Mercurio in tauro, à gradu primo vſque ad 5. primæ faciei arietis: Sole autem exiſtente in ariete eandem obtinebit virtutem.

Ad bona & honores adipiſcēdos, morboſq; cerebri frigidos curandos imaginē Lunæ conferre in puriſſimo

argento

argento vel cryſtallo, ita vt Luna exiſtat in Cancro, atque in fortunis ſit libera, in Oriente fortis & fortunata, experimẽtis patefactum eſſe Doctores antiqui aſſerunt, adque eundem quoq; effectum conſequendum poſitus eiuſdem in tauro efficax eſt, quo in ſigno exaltatur.

Ad ventris ægritudines curandas figura cancri facta hora Saturni, cancro exiſtente in medio cœli, & Saturno in ſecũda facie, omni auro pręſtare dicitur, omnibus morbis reſiſtendis expellendisque idonea.

Ad triſtitiam abigendam & melancholicam deſipientiam, figuram Capricorni prodeſſe proditum eſt, ita tamen, vt Mercurius non ſit retrogradus, ſitque cum Venere ſupra terram, Venus autem ſit in parte Orientali, Saturnus vero ſub terra: conficiendum autem ſigillum eſt in prima facie, Solis aut Mercurij die, Solis tamen hora.

Ad

Ad ſenſum corruptum & deperditum, morbosque manuum inprimis dextræ commendari video Imaginem Sagittarij factam de auro vel argento in prima facie primi gradus vſque ad 5. die Solis & hora eius: hæc figura habet vim expellendi infirmitates, Saturni, Veneris & Martis, oportet autem Saturnum non eſſe retrogradum, nec Martem in 12. domo, ſicut nec Iouem in quarta, Sole quoque ſupra terram exiſtente.

Atque hæc ſunt figilla & ſculptūræ Planetarum & conſtellationum quarundam cœleſtium, à diuerſis autoribus repertæ, ſequuntur ordine, quæ in antiquiſſimorum Sophorum & Doctorum monumentis cõſignatæ imagines inueniuntur, quæ multarum mirandarumque virium eſſe perhibentur, ſi in conuenientibus lapidibus ſculptæ magna cum reuerentia & deuotione geſtentur & cuſtodiantur:

diantur: & primo quidem inter vetuſtiſſimi illius & ſummi Rhagaelis arcana fuerunt.

Draconis formoſi imago, ſi in Rubino, ſiue in alio lapide ſimilis naturæ ſculpta fuerit, ſcias virtutem eius eſſe in augendis bonis huius ſeculi, geſtantemq, hilarē & ſanum efficere.

Falconis imago, ſi in Topatio ſit, ad acquirēdam beneuolentiam Regum, Principum & magnatum facit.

Aſtrolabij imago ſi in Granato ſculpta fuerit, virtus eius erit ſanum reddere geſtantem, & ab omnibus ægritudinibus aduerſisque caſibus in itinere liberum.

Aſini imago ſi in Chryſolito ſit, virtus eius erit futura prognoſticare & prædicere, (quantum ſcilicet poteſt euadere in humanam imbecillitatem, vere enim futura prædicere ſolius eſt Dei.

Arietis vel capitis hominis cum barba

barba imago in Sapphyrio ſculpta virtutem habet ſanandi & liberandi à multis infirmitatibus, & à carcere, omnique moleſtia, eſtque imago regia, dat enim dignitates & honores, ac in altum extollit.

Ranæ figura ſi in berillo ſculpta erit, virtutem habet inimicos reconciliandi, & amicitiam inter homines, ſi diſcordes ipſa tetigeris.

Cameli capitis, & duarum caprarum inter myrrhi arboris imago, ſi in Onyche ſit, virtutē habet conuocandi, congregandi, & conſtringendi dæmonas, ſi quis ſecum portauerit, & in ſomno facit terribilia videre ac mirabilia.

Vulturis imago ſi in Chryſolito ſit, virtus eius erit dæmones frenare & congregare, defendere locum, in quo ponitur à malis ſpiritibus, & ab eorum infeſtatione, geſtantique dæmones facit obedientes.

Veſper-

Vespertilionis imago, si in Heliotropio sculpta erit, gestanti potentiã dat resistendi dæmonibus.

Hominis bene ornati imago & habentis aliquid pulcri in manibus, si in Corneolo sculpta erit, virtutem habebit stringendi sanguinem, & ad honores confert.

Leonis vel Sagittarij imago, si in lapide sit, ad venena valet, & à febre liberat.

Hominis armati cum arca & sagitta imago, si in iride sculpta fuerit, virtutem habet custodire gestantem, & loca, in quibus versatur à malo.

Hominis imago cum ense in manu, si in Corneolo sit, virtutem habet præseruare locum, in quo erit à fulgure & tempestate, & gestantem à vitiis, & à fascinatione custodit.

Tauri imago, si in Prassio sit, ad maleficia iuuare dicitur, & in magisteriis gratiam præbet.

Vpupæ

Vpupæ figura cũ Dragontea herba ante ſe, ſi in Beryllo ſit, virtutem habebit aquaticos invocare ſpiritus & loqui cohibere, deq; quæſitis ab eis reſponſa recipere.

Hominis imago cum dextra manu erecta ad cœlum, ſi in Chalcedonio ſit, virtus eius erit vincere ciuiles lites, & geſtantem reddere ſanum, & in itineribus, ac à cauſis noxiis præſeruare.

Dei nomina in Ceraunia ſi ſculpta fuerint, virtutem habebit præſeruare loca, in quibus erit à tempeſtatibus, & potentiam victoriamque dat geſtantibus contra inimicos ſuos.

Vrſi imago ſi in Amethyſto ſit fugiendi dæmones virtutem habet, & hominem ab ebrietate defendendi & præſeruandi.

Hominis armati Imago in magnete ſculpta, geſtantes in bello reddit victorioſos. Hactenus Rhagael.

Imagines seu sigilla Chaelis.

Chael vnus ex filiis filiorum Israel, antiquissimus Doctor, cum in deserto esset, obseruauit, & sculpere fecit multas secundum cursum signorum & planetarum figuras, & maximum effectum in eis agnouit, vtque hæ imaginum virtutes posteris paterent, librum composuit, ex quo sequentia sunt excepta. Sitque benedictus Deus, qui terris tales virtutes dedit in salutem humani generis. (Hæc verba reperiuntur in ipso libro à Chaele conscripto statim in principio.)

Hominis figura sedentis post aratrum, cum longa barba, vultuq; longo & superciliis curuatis, in cuius collo sint quatuor homines iacentes, & qui teneat in manibus vulpem & vulturem, si talis lapis, in quo hæc erunt sculpta, collo suspendatur, ad omnes plantationes valet, & ad inuenien-

ueniendum thesauros, nam si sub ceruice, iturus in lectum posueris, in somno videbis thesauros, ac modum extrahendi: est & alia eius virtus, scilicet conferre ægritudinibus brutorum, cum aquam biberint, in qua hic lapis lotus fuerit, debet autem sculpi in die & hora Veneris.

Hominis imago habentis in collo clypeum, & in capite galeam, tenentis in manu gladium, ac conculcantis sub pedibus serpentem, in Iaspide rubeo sculpta, si collo suspendatur, omnes superabit inimicos in prelio, & maxime si commissum fuerit die Martis.

Equi imago habentis Crocodilũ, supra se in hiacyntho sculpta, virtutem habet reddere gestantem victorem in ciuilibus causis, amatum, morigeratum, efficit & amabilem, debetq; in auro ligari, quia ex auro virtus eius augmentatur.

Hominis figura ſedentis, & mulieris ſtantis ante eum capillis ſparſis verſus renes, & viri ſurſum aſpicientis in Corneolo ſculpta, virtus eius erit, ex omnibus hoc lapide contractis beneuolentiam acquirere: lapidi autem debet ſupponi parum ambræ, & terebinthinæ.

Equi ſpumantis & feruidi, ſuper quem vir niger ſedeat cum ſceptro in manu figura ſculpta in hematite, regnandi poteſtatem præbet, & amiſſam gratiam reſtaurat, debetque in æquali pondere auri & argenti ligari.

Hominis ſedentis cum accenſa candela in manu imago, ſi in Chryſolito ſculpta fuerit, geſtantem diuitem efficit, debetque in puriſſimo auro ligari.

Cerui aut venatoris, aut canis, aut leporis figura ſculpta, virtutē habet frenandi dæmones, lunaticos, phreneticos.

Mulie-

Mulieris imaginem habentis in vna manu auem, & in alia piſcē ſculptam, ſcias virtutem habere in capiendis piſcibus & auibus; debet in argento ligari.

Imago cuius anterior pars eſt equus, poſterior vero capra, ſi in aliquo lapide ſculpta ſit, dat fortunam in alendis & armandis animalib. ſeu beſtiis omnium generum, debetque in plumbo ligari.

Mulieris ſedentis cum tuba in equo, ſeu militis currentis cum cornu ad collum, & cum arbore ante ſe, figura ſculpta in aliquo lapide venatoribus venandi gratiam præbet, ſi ſecum portauerint.

Hominis flexis genibus ſurſum reſpicientis, & tenentis pannum figura, ſi in lapide ſculpta erit, ac quis ſecum portauerit, dat gratiam & diuitias in rebus emendis & vendendis.

Scorpionis & Sagittarij ad inuicem pugnantium figura, ſi in aliquo lapide ſculpta fuerit, maleuolos & diſcordes efficiet concordes, inimicos amicos, ligetur autem in argento.

Vulturis imago cum ramo oliuæ in ore, ſi in pyrite ſculpſeris, tecumque portaueris in argento annulo, ad multa conuiuia vocaberis, & omnes te aſpicient cum admiratione & ſtupore.

Arietis & Leonis medietatis figura, ſi in aliquo precioſo lapide ſculpta fuerit, ſi diſcordes cum ea tetigeris, amabiles & concordes efficientur, debetque in argento ligari.

Mulieris in ſuperiori parte, in inferiori vero piſcis figura, quæ in manu ſpeculum teneat, & in altera manu ramum in hiacyntho ſculpta, digitoque in annulo aureo geſtata inuiſibiles reddit, voluendus autem

annu-

annulus cum lapide verſus palmam eſt, palmaque claudenda.

Baſiliſci, cuius pars vna eſt fœminæ, inferior vero ſerpentis figura, ſi in aliquo precioſorum lapidum ſculpta fuerit, virtutem habebit cuncta fugandi animalia venenoſa.

Baſiliſci pugnantis cum Dracone figura, & deſuper ſit caput hominis in Corneolo ſculpta, ſi collo appendatur, geſtanti dabit virtutem ſuperandi omnem beſtiam tam terrenam quam marinam.

Hominis nudi inflati figura, cum altera hominis figura bene induti, ac tenentis in vna manu ſcyphum, in altera vero Ramum herbæ, ſi in Gagate lapide ſculpta fuerit virtutem habere ſcias liberandi ab omnibus febribus, ſi per triduum ſecum portauerit.

Hominis ſtatuam habentis caput bouinum, & pedes aquilæ, ſculptam

in aliquo lapide, ſi tecum portaueris, nullus hominum de te male loquetur.

Hominem flectentem genua, & ſurſum aſpicientem, & vnum pannum teneat, in turcoſia ſculptum, ſcias valere ad emendas & vendendas res.

Scorpionis & Sagittarij inter ſe bellantium figura in aliquo lapide ſculpta, & ligata in annulo ferreo ceræ impreſſa, ſtatim inter ſe diſcordes efficit, quoſcunque ea tetigeris.

Arietis figuram cum medietate bouis in aliqua gemma ſculptam virtutem habere ſcias, ſi in annulo argenteo ligata fuerit, vt quoſcunque ea tetigeris, confeſtim tales concordes fiant.

Fœminæ in ſuperiori & in inferiori parte figura piſcis, quæ in vna manu teneat ſpeculum, & in alia ramū, ſi in Hiacyntho ſculpta fuerit, ligataque

taq; annulo aureo, inuiſibilem reddit quandocunq; volueris: eſt autem ſigillum cera cooperiendum, digitoque palmam verſus geſtandum.

Hominis arantis figura, & ſupra illum ſit manus Domini faciens ſignum, & iuxta illud ſculpta ſit ſtella, ſi in aliqua gemma ſculpta fuerit, & honeſtiſſime geſtaueris, in qua regione eris, a tempeſtate non peribis, & fructus terræ ſimiliter in illa non peribunt.

Viri iuuenis tenentis in capite coronam, & ſedentis ſuper thronum quadrupedem, & ſub quolibet pede ſit vir ſtans, tenens cathedram collo, ſitque circa caput ſedentis circulus, & manus eius ſint erectæ ad cœlum, ſi hanc figuram ſub Hiacyntho albo ſculptam repereris, poſueriſque hunc lapidem in argēteo annulo in æquali pondere ad lapidem, & ſub lapide modicum maſtichis & terebinthinę,

ac feceris ſigillum in cera, geſtaueriſque ad collum, à Regibus & Principibus impetrabis, quicquid volueris, iuſtiſſime autem & caſtiſſime eſt geſtandus.

Serpentis figuram habentis ſupra dorſum virum,& ſuper eandem coruum,ſi in aliquo lapide ſculptam inuenies, qui hũc lapidem ſecum portarit, omnibus abundabit, & erit aſtutus atque prudens.

Viri ſtantis ſupra draconem, qui in manu teneat gladium, figuram, ſi in hæmatithe ſculptam inuenies,pone in annulo plumbeo, vel ferreo, & obedient ei omnes ſpiritus ſubterranei, & reuelabunt ei omnes theſauros leui carmine,nec non extrahendi modum ipſi oſtendent.

Viri ſtantis & habentis loricam inductam, & in capite galeam, in manu vero gladium euaginatum, figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam inuenies

& in

& in annulo ferreo tanti ponderis ligaueris, ferenti hunc in prælio nemo reſiſtere poterit.

Viri barbati habentis longum vultum, & curuata ſupercilia, ſedentis ſuper aratrum inter duos tauros, figuram ſi ſculptam in aliquo lapide inueneris, ad plantationes, & ad omnem culturam valet, ad inueniendos theſauros, & bellandum, conuertet inimicos in amicos, & in multis infirmitatibus valet, & ſi quis eam portauerit, fugient ſerpentes à facie eius: epilepticos quoque ſanat, & ſi infans eum portauerit ad collum, timorem ab eo expellit, & vexationem malorum ſpirituum, & ſi æger portabit, ſanitatem recipiet, vtque maiorem virtutem habeat, debet poni in annulo ferreo, in duplici pondere ad lapidem.

Aquilæ ſtantis figuram, ſi in æthite ſculptam inuenies, & in annulo

plumbeo ponens, ferens eum erit acceptus & amatus ab hominibus, & animalia obedient ei.

Arietis & simul Leonis figuram, si in aliquo pretiosiorum lapidum sculptam inuenies, & in argenteo annulo ligaueris, si cum eo discordes tetigeris, concordabunt.

Capricorni signum sculptum in corneolo, aut in alio lapide, in annulo argenteo liga, & tecum porta, nec enim personaliter nec oraliter ab inimicis læderis, nec iudex contra te iniustam sententiam dicet, in negociatione & honore abundabis, & amicitiam multorum acquires, & omnes fascinationes, quę cõtra te factę fuerint, destruẽtur, in prælio quoque nullus inimicus, quam etiã fortis fuerit, tibi resistere poterit. Hæc Chael.

Sigilla seu imagines Hermetis.

Hermes *lib. quadripart.* 14. has commemorat imagines.

Homi-

Hominis imago sculpta in diadochoc stantis, & magnæ staturæ, tenentis in manu dextra obolum, & in alia serpentem, sitque super caput hominis figura Solis, & prostratum, teneat sub pedibus Leonem, si posita fuerit in annulo plumbeo cum modico arthemisiæ ac radice fœni græci, tecumque habueris in ripa fluuij, & vocaueris aquaticos spiritus, ab eis de quæsitis responsa accipies.

Hominis figura stantis ac tenentis fasciculum herbæ collo appensum cum grossitie renum & amplitudine spatularum, si in viridi iaspide sculpta erit, scias ipsam auxilium præbere febricitantibus, & à febre liberare, & si quis artem medicinæ exercet secumque portauerit, in discernendis ægritudinibus & cognoscendis medicinis & herbis, in dandisque potionibus maximam gratiam præbet, inque omni hæmorrhagia & fluxu

fluxu ſanguinis iuuat, protinuſque compeſcit.

Turturis marini imago, ſi in lapide marino ſculpta ſit, & in annulo plumbeo ligata feratur, non poterit lædi ab aliquo, & à ſenioribus & dominis terrarum diligetur.

Aquarij figura ſi ſculpta fuerit in uiridi laſpide, & quis ſecum portauerit, lucrum præbet in vendendis & emendis rebus, & ab eo mercatores conſilium quærent, & in ſuum domicilium merces portabunt. Auis quæ in ore folium tenet, & in eius conſpectu ſit caput hominis aſpicientis ipſam auem, ſi in lapide Pangone ſculpta ſit, eamque in auro ligaueris, & tecum portaueris, diues eris, & locuples, & ab omnibus venerabilis.

Iouis figura, quæ eſt hominis ſedentis ſuper cathedram quadrupedem, ſintque ibi quatuor homines ſtantes

ſtantes ante Iouem, ſintq; manus Iouis erectæ cœlum verſus, & in capite habeat diadema, ſi in Hiacyntho ſculpta erit, ac in auro ligata, & quis talem annulum ſecum portauerit, ſeu figuram huius annuli impreſſam in cera collo ſuſpendet, à regibus & ſapientibus quicquid voluerit, impetrabit.

Hominis imago habentis vultum Leonis, & pedes aquilæ, & ſub pedibus eius ſit draco, & cauda ſit extenſa, in manu vero ipſius hominis ſit baculus, cum quo percutiat caput draconis, ſi in cryſtallo ſculpta erit, aut in aliquo precioſo lapide, & ligata ſit in orichalco, & ſub lapide ſit moſchus & ambra, ſi quis fert ſecum talem lapidem, habebit ſpiritus obedientes, ac magnas facultates accumulabit.

Hominis ſedentis ſuper aquilam, ac in manu virgam tenentis imago, ſi in

ſi in cryſtallo ſculpta fuerit, & in annulo æreo, ſeu cupreo ligata: ſi quis hũc annulum in die Solis ante exortum ipſius aſpexerit, omnes inimicos ſuos vincet, & ſuperabit, ſi in die Iouis aſpexerit victor belli erit, libenterque omnes homines ei obedient, ſed oportet geſtantem veſtiri albis veſtibus & à Columbina carne abſtinere.

Hominis figura equitantis, ac tenentis in vna manu frenum, & in alia arcum tenſum, & habentis gladium cinctum, ſi in pyrite lapide ſculpta fuerit, & in annulo aureo ligata, & quis ſecum portauerit, eum victorem reddet in prælijs, nec quis ei reſiſtere poterit.

Mulieris imago habentis crines ſparſos ſuper mammillas, & in eius conſpectu ſit vir quaſi adueniens, faciensque ei aliquod amoris ſignum, ſi in Hyacintho ſeu cryſtallo ſculpta fuerit,

fuerit, ac in auro ligata, & ſub lapide ſit ambra, aloes & artemiſia, ferenti hunc lapidem in annulo omnes obedient, & ſi mulierem cum eo tetigeris, amabit te, & ſi capiti ſuppoſueris, cum vadis dormitum, quicquid volueris, videbis.

Hominis imago ſedentis ſupra piſcem, & ſuper caput hominis ſit pauo, ſi in lapide ſculpta ſit rubeo, & ipſum ſub tabulam in conuiuio poſueris, nemo comedens cum dextra, ſatiabitur.

Hominis nudi ſtantis figura, & à dextra eius ſit puella ſtãs, cuius capilli ſint ligati circa caput, & vir teneat dextram ſuam ſupra collum puellæ & ſiniſtram ſupra pectus, aſpiciatque vultum eius; ipſa vero in terram, ſi in aliquo lapide ſculpta erit, ac in ferreo ligata annulo, & ſub lapide ſit parum linguæ paſſeris, vpupæ, myrrhæ, aluminis, ſanguinisq; hominis,

qui

qui hunc annulum portauerit, inuictus erit, nec vllus poterit ei resistere, nec fera aliqua ei nocebit: Epilepticis quoq; valet, si ceram rubeam signaueris cum eo, & si ad collum canis ponatur, latrare non permittit.

Hominis imago tenentis in manu flores, si in Corneolo sculpta erit, ac in annulo stanneo posita, & annulus fabricatus fuerit die Lunæ aut Veneris, 4. 8. aut 12. hora, tange quem volueris hoc annulo, & obediet tibi.

Hominis barbati figuram habentis vultum longum, superciliaq; curua, sedentis super aratrum inter duos tauros, habentisq; vulturem in manu, in lapide sculptam, scias virtutem habere in plantatione arborum, & inuentione thesaurorum, ac victorem in prælio efficere: serpentes à facie gestantis fugantur: epilepticos sanat, omnemq; vexationem malorũ spiri-

ſpirituum tollit, debet autem in annulo ferreo ligari, & geſtari.

Hominis tenentis falcem in manu ſuper caput ſuum, figura & ſub pedibus crocodilum, ſi in lapide ſculpta erit, ac in annulo plumbeo ligata, & ſub lapide ſit parum radicis ſquillæ, qui ſecum hũc annulum portauerit, ab inimicis ſecurus erit, & in itinere à latronibus.

Hominis figura tenentis gladium in manu, & ſedentis ſupra draconem, ſi in amethyſto ſculpta fuerit, ac in plumbeo annulo, vel ferreo ligata, & in digito feratur, ſpiritus obedient, reuelabuntque ei qualeſcunque theſauros.

Aquilæ ſtantis figura, ſi in æthite lapide ſculpta fuerit, & in annulo plumbeo ligata, virtutem habet, qui ſecam portauerit capiendi multos piſces, nec vlla fera ei nocebit, àque hominibus diligetur.

Homi-

Hominis habentis in manu palmam figura, ſi in aliquo lapide ſculpta erit, reddit geſtantem gratum, & amabilem potentibus & principibus. Hæc ex Hermete.

Imagines, ſeu figilla Thetelis.

Thetel veruſtiſſimus Doctor tractans de ſculpturis lapidum, ait, has ſculpturas in conuenientibus lapidibus repertas, maximam habere virtutem.

Hominis imago ſculpta in Iaſpide habentis ſcutum in ſiniſtra, & in dextra idolum, vel aliquid bellicoſum, & loco pedum ſint viperæ & loco capitis hominis ſit caput Galli vel Leonis, virtutem dabit contra inimicos, & victorem geſtantem reddit, valetque aduerſus venena, ſanguinem quoque ſtringit à quacunque parte fluat.

Hominis figura habens faſciculum herbæ in collo, ſi in Iaſpide ſculpta fuerit,

fuerit, virtutem habet diſcernendi, ſeu cognoſcendi infirmitates, ſanguinem à quocunque loco fluat, frenat: dicuntq; hunc lapidem habuiſſe Galenum.

Crucem ſculptam in Iaſpide viridi, dicunt habere potentiam liberandi geſtantem ab aquæ ſubmerſione.

Fœmina habēs in vna manu auem & in altera piſcem: ſi ſculpta fuerit in Chryſolito, ad negociandum multum valet.

Lupi figura ſculpta in Iaſpide contra aſtutiam valet, & inſana verba prohibet proferre.

Cerui figura in Iaſpide ſculpta virtutem habet ſanandi & liberandi lunaticos & phreneticos.

Imperatoris figura in Iaſpide ſculpta cum capite erecto, geſtantem reddit amabilem ab omni creatura, & quicquid petierit, obtinebit.

Virginis

Virginis figura cum veſte profuſa tenentis in manu laurum, ſi ſculpta fuerit in Iaſpide, geſtantem efficit ſecurum à ſubmerſione aquæ, nec à Dæmone vexabitur, facitque potentem, & omnia impetrantem.

Hominis figura habens in manu inſcriptam palmam, ſi in Iaſpide reperiatur, potentem reddit geſtantem principibusque gratum. Hactenus Thetel.

Sculptura Salomonia.

Vetuſtiſſimus inuentus eſt libellus in deſerto apud filios Iſraelis, qui, quoniam in eo multa Salomonis opera reperiebantur, Salomoni fuit aſſcriptus. Titulus libri erat, De Sigillis lapidum ſecundum nomen tuum Domine, & ſecundum curſum ſtellarum.

Hominis ſedentis ſuper aratrum figura, habentis collum paruum & prolixam barbam, quatuorque homines

mines iaceant in collo ipſius, & teneat in vna manu vulpem, in altera vulturem, ſcias iſtud ſigillum collo appenſum ad omnes valere plantationes, omnesq; theſaurorum inuentiones: probationem autem iſtius ſic inſtitues. Accipe lanam nigram purã ſine tinctura, inuolue lapidem, poneq; inter paleas tritici, & capiti ſuppone, videbis tunc in ſomno omnes theſauros iſtius regionis in qua fueris, ſimulque habet virtutem ſanandi omnes beſtiarum languores, ſi aquã, in qua lotus fuerit, biberint.

Hominem ſculptum in Iaſpide viridi, qui habeat clypeum pendentem in collo, & ſupra caput galeam cum gladio erecto, pedibuſque calcet ſerpentem, appone collo, & non timebis vllum inimicum, in omnibus rebus eris victor maxime vero Martialibus, debetque ligari in ære.

Equus gerens in dorſo crocodilum in

lum in hiacyntho albo ſculptus, amabilem facit hominibus & beſtus.

Hominis ſedentis figura & mulieris ſtantis ante eum, habentis capillos extenſos vſq; ad femur, leuantis vero oculos ſurſum, ſi in Corneolo ſculpta fuerit, ſcias virtutem eius eſſe, omnem hominem tam maremvel fœminam reddere obedientē, debetq; in tanto pondere auri ligari, quantū ipſe lapis habet, ſubtus autem pone betonicam & ambram.

Equum ſpumantem cum viro ſupra ſe tenentis ſceptrum manu, in amethyſto ſculptum, ſcias illud ſigillum prodeſſe ad omnes res quas habet, qui illud gerit, omneſque principes & primates erunt ei obedientes, debet autem ligari in auro vel argento in duplo ad ſigillum.

Capitis hominis cum longa barba ac modico ſanguinis circa collū, ſi in adamāte imago ſculpta reperiatur, ſcias

scias ad victoriam audaciamq; conferre, & corpus ab omni læsione præseruare, valetque ad impetrandam gratiam à principibus.

Hominis volentis instrumentis ludere figura in sapphyro sculpta gratiosissimum omnibus reddit.

Galli imago, vel trium puellarum si in Achate reperiatur, hominem gratiosum apud Deum & homines reddit.

Leonis figura in granato sculpta diuitias præbet & honores, lætificat, tristitiamque expellit.

Cerui aut columbi imago in Onyche sculpta gestanti præbet animositatem aduersus dæmonas.

Hominis figura in similitudine mercatoris portantis merces ad vendendum, aut hominis sedentis sub centurione, si in Smaragdo reperiatur, dat diuitias, victorem que reddit, & ab angustiis subleuat.

Tauri vel vituli imago in magnete reperta, portanti felicia præbet itinera per omnia loca, valetque contra omnes incantationes.

Equi aut lupi figura in Iaſpide reperta febres fugat, ſanguinemque ſiſtit.

Hominis figura coronati in Topatio geſtantem efficit bonũ, morigeratum dilectumque Deo & hominibus præbetque honores ac dignitates.

Hominis armati cum enſe in manu, ſi in ſardio vel amethyſto ſculpta reperiatur imago, gerentem acquirere facit perfectam & bonam memoriam, redditque prudentem.

Cerui vel hirci figura in Chalcedonio reperta ſculpta, virtutem dat augendi diuitias, ſi in capſula pecuniaria reſeruetur.

Leporis imago in Iaſpide portantem à nullo dæmone lædi patitur.

Locuſta marina in berillo ſculpta,

rixas

rixas conciliat, & matrimonium in amore coniungit.

Nocticoracis figura, quia Palladis auis est, sculpta in lapide qui facit ad scientiam, hominem facit scientissimum & eloquentem.

Pauonis imago sculpta in conueniente lapide gestantem reddit diuitem.

Hominis figura interficientis Leonem, aut aliam bestiam cum gladio, gestantem astutum, victoriosum & amabilem reddit.

Hominis tenentis laurum vel palmam in manu dextra imago portantem efficit causarum & præliorũ victorem, amabilem & potentem in regione sua,

Hominis alati figura habentis sub pedibus serpentem ac tenentis caput eius in manibus, gestantem diuitem, prudentem & amabilem reddit omnibus.

Digitized by Google

Formicæ habentis ſpicam vel granum in aliquo lapide ſculpta imago ad diuitias valet acquirendas.

Galli figura tenentis roſtro coronam vel Zonam in duello victoriam dabit, præſertim ſi in gallinaceo fuerit.

Hominis ſtantis cuius caput ſit bouis, pedes vero aquilę figura, in gemma aliqua ſculpta ſi inueneris, inque ceram impreſſeris, nullus hominum de te male loquetur.

Baſiliſcum & draconem inter ſe pugnantes, ſi in corneolo inueneris ſculptos, ſitque ibi caput bouis, bellaturus applica collo, omnesque beſtias vinces tam marinas, quam terreſtres.

Hominis nudi inflati & coronati, tenentis in vna manu ſcyphum, in altera ramum herbæ, figuram in gagate ſculptam, ligatamque in annulo cuiuſuis metalli febricitantem, ſi geſta-

geſtauerit, protinus à febre liberat.

Viri ſedentis ſuper piſce figura in Iaſpide rubeo ſculpta, pannoque alicuius impoſita, conuiuantem ſi cum dextra comederit, non ſaturari faciet.

Mulieris figuram habentis crines ſparſos, vel mamillas nudas, inque conſpectu eius ſit vir cernens eius faciem, ſi in hiacyntho, granato vel cryſtallo inueneris ſculptam, ligauerisque in annulo aureo, tanti ponderis vt lapis eſt, ſub vero lapide ſit ambra, aloes, polypodium, geſtantem efficiet omnibus amicabilem, ſique ſupponatur capiti, in ſomno videbit, quæcunque voluerit.

Viri equitantis & tenentis in manu frenum, & in alia arcum cum gladio cincto, figuram, ſi in pyrite ſculptam inuenies, ligeturque in annulo aureo, geſtantem victorem reddit in

pælio, cui nemo resistere poterit, & si quis hunc annulum submerserit in oleo muschato, omnes ipsum pertimescent, si inunxerit vultum suum illo oleo, nec ei poterūt se opponere.

Viri stantis qui sit nudus, & à dextris eius sit puella nuda stans, eiusque capilli sint ligati circa caput, figuram, si in magnete sculpram inuenies, & vir teneat dextram suam super collo puellæ, sinistram vero supra pectus, & vir aspiciat vultum puellæ, hæc autem terram, pone in annulo ferreo tanti ponderis, quanti est lapis, includeque sub annulo vpupæ linguam, myrrham, alumen, & de sanguine hominis, quantum linguæ pondus est, ferenti hunc annulum, nullus inimicus poterit resistere in conspectu eius, siue in bello, siue alibi, nec latro, nec fera nocens poterit intrare domum, in qua hic nominatus lapis fuerit, & si epi-

lepticus

lepticus aquam biberit, in qua lotus fuerit, ſanabitur; Cera quoque rubea ſi eo ſignetur colloque canis fuerit appenſa, latrare prohibebit.

Militem ſuper equo currentem cum cornu ad collum, & cum arbore ante ipſum, ſculptum in pretioſo aliquo lapide, ſcias valere ad omnes venationes.

Fœminam tenentem in vna manu auem, in altera piſcem, in cryſtallo ſculptam, ſcias valere ad capiendum aues, debetque ligari in argento.

Hominis figuram cum hircino capite loco ſui, ſcias valere ad acquirendum diuitias.

Aquilæ figura in cryſtallo ſculpta geſtantem reddit diuitem, victoriolum & eloquentem.

Cornutum animal, quod equum ſubtus ſe ferat, & equus retro ſe ducat medietatem capræ, ſculptum pre-

tioſiore aliquo lapide, ſcias plurimum valere ad domandum quamcunque beſtiam, debetque ligari in annulo plumbeo.

Turturis figuram, ſi in Pangone inueneris ſculptam, & in annulo plumbeo ferens nunquam vulnerabitur, nec malum accipiet, ſed honorabitur ab omnibus, maxime à Senioribus.

Auis tenentis folium in ore, ſitq; in ore & conſpectu eius caput hominis aut vulturis, figuram, ſi in auro ſculptam inueneris, ferens ex omnibus, quæ emturus eſt & venditurus lucrum acquiret, àque emptoribus inueſtigabitur.

Leonis vel draconis vultus habentis duo capita cum cauda delicata, vel viri in cuius dextra ſit baculus, & percutiat caput Leonis, figuram, ſi in cryſtallo ſculptam inueneris, poſſueriſ-

fueriſque in orichalco, ſub vero lapide moſchum & ambram, tecumque portaueris, omnes tibi obedient, facultatemque tuam amplificabis, ſignata cum eo cera eandem habebit virtutem.

Equi alati, qui Pegaſus dicitur figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam inuenies, optima eſt militantibus, & in campeſtri bello dat audaciam & alacritatem.

Viri & ſerpentis circumdantes viſum figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam inuenies, gerenti ſcias præbere victoriam in prælio campeſtri.

Arboris, vel vitis, vel ſpicæ figura in aliquo lapide ſculpta geſtantem facit in victu & amictu abundare, principesque reddit beneuolos.

Mars armatus vel virgo ſtolata cum circumflexa veſte tenens in manu laurum, in Iaſpide ſi inueniatur, potentem geſtantem reddit ad arma

perficienda, & à morte violenta, aquæque submersione liberat, casibusque aduersis.

Hominis armati in equo cum lancea figura in amethysto sculpta facit gestantem victoriosum in campestri bello.

Herculis figurã, tenentis in dextra clauam, interficientis Leonem, vel aliud monstrum, si in lapide sculptam reperies, scias præbere victoriam in campestri pugna.

Iouis figura, quæ sit in forma hominis cum arietis capite, gestantem facit amabilem, citoq; impetrantem quicquid voluerit.

Virgo aut puella cum lampade in crystallo sculpta, virtutem habet custodiendi oculorum lumen.

Igneæ triplicitatis, id est, Arietis, Leonis & Sagittarij figura sculpta in lapide pretioso omnib. frigidis ægritudinibus valere perhibetur, opitularique

larique febribus phlegmaticis, & ob Planetarum, qui in illis signis tenent dominium, dignitatem, reddere Deo & hominibus gratum, facundum, ingenioſum, honorum q; & dignitatum facile potiri valentem : debet autem ita ſculpi, vt in triangulo Leo teneat conum, aries in baſi dextram, Sagittarius ſiniſtram.

Terreæ triplicitatis, id eſt, Tauri, Virginis & Capricorni, imago lapidi inſculpta omnibus calidis & humidis ægritudinib. auxilium præſtabit, geſtantemq; inclinabit ad opera ruralia, vt ſunt arare, plantare, ſeminare, vineas excolere & ſimilia, debet autem in cono eſſe Capricornus, in baſis dextra Taurus, in ſiniſtra Virgo.

Aereæ triplicitatis, id eſt, Geminorum, Libræ & Aquarij imago, in lapide ſculpta ab omnibus ægritudinibus frigidis & ſiccis ex humore melancolico oriundis, liberat, præſertim

vero quartana, eritq; in trianguli cuſpide libra, in baſis dextra aquarius, in ſiniſtra gemini.

Aqueæ triplicitatis, id eſt, Cancri, Scorpij, piſcium, figura lapidi inſculpta, à calidis & ſiccis morbis liberat, vt Ethica, omnibusq; choleræ morbis, verum geſtantem reddit inconſtantem, iniuſtum & veritatis oſorē, debet autem in coronide trianguli eſſe Cancer, in baſis dextra Piſces, in ſiniſtra Mars.

Saturni figura inſculpta lapidibus eſt eiuſmodi. Vir ſenex falcem tenēs in manu, habens barbam non multum piloſam: hæc figura ſculpta in lapide de natura Saturni geſtantē reddit potentem eum continua poteſtatis augmentatione.

Iouis Imago eſt hominis ſedentis in ſolio ſeu in quadrupede cathedra, virgam tenentis vna, altera vero pilam; ſeu tenentis idolum Cancrum

vel

vel piſcem, & ante pedes habentis aquilam: Sed apud Magiæ Doctores aliter figuratur, hominis enim figuram ſculpunt cum arietino capite, rugoſis calcaneis, ſubtili pectore, quæ ſi lapidi, maxime Krabati inſculpatur, geſtantem reddit fortunatum, amabilem, religioſisque gratum, extollitque ad honores & dignitates.

Martis imago multipliciter in lapide figuratur, interdum cum vexillo in manu, interdum cum lancea, aut alio inſtrumento bellico, ſemper tamen armatus, & aliquando equeſter: huius lapidis ſic ſculpti virtus geſtantem reddit victorioſum, audacem, bellicoſum, maxime vero ſi ſculpatur in lapide virtutis conſimilis.

Solis figura diuerſimode reperitur, interdum inſtar Solis cum radiis circumquaque, aliquando inſtar hominis ſedentis in ſolio cum capillis

sparsis & veste profusa, nec nō in curru, ac si ab equis quadrigis veheretur, ita vt circumcirca currum sint 12. Zodiaci signa: Virtus autem huius figuræ in aliquo lapide sculptę gestantem reddit imperantem, Magnatibusque gratum.

Veneris imagines similiter multæ sunt, lapidibus tamen sequens frequentius insculpitur: Mulier cum magna veste & stola, manuq; tenens laurum: huius virtus est agilitatē dare in rebus agendis, omniaque ad optatum finem deducere, timorē submersionis aquaticę auferre, honores vero muliebres afferre.

Mercurij figura homo est gracilis pectoris, pulchram habens barbam cum talaribus, caduceam tenens virgam cum gallo ante pedes, aut cum serpente sub pedibus, virtus eius est conferre ad scientiam & oratoriam comparandam, mercatoribus locupletan-

pletandis quoque maximum præſtare auxilium.

Lunæ imagines variæ ſunt, aliquãdo enim figuratur in propria Lunę figura, cum cornibus, interdum in curru, vt puella cum canibus & pharetra, cum canibus ſequentibus ceruum: huius imaginis virtus eſt præbere expeditionem in legionibus, ex his bona & honores, in que omnibus rebus agendis præſtare celeritatem & facilitatem, adque optatum finem omnia deducere. Verum caute obſeruandum, vt etiam ſupra monitum eſt, Planetam, cuius imaginem in annulo conueniente ſculpram cupis, optime debere eſſe diſpoſitũ, hoc eſt, non combuſtum, retrogradum, malorumq; radiis oppreſſum aut tactũ, ſed in bono cœli loco, Oriente vel Medio Cœli, cum Ioue vel Venere, in dignitatibuſq; eſſentialibus, alias imago vana exiſtet, nulliusque momenti. Cæte-

Cæterum Vrſi imaginem ſic formarunt veteres.

Binas vrſas inſculpunt circumuolutas à ſerpente, Maior vrſa in capite circumflexionis, minor in cauda continetur: quæ imago in aliquo lapide ſculpta, geſtãtem ſcientem reddit, verſutum & potentem.

Coronæ imago ſimilitudinem coronæ Regiæ cum pluribus habet ſtellis, interdum in ſimilitudine regis capite coronati figuratur, exiſtitque in Septentrionali parte & ſigno Sagittarij, eſtque de natura Veneris & Mercurij, ſique hæc imago in lapide fuerit ſculpta, dat geſtantibus honores & ſcientiam, regiamque gratiam.

Herculis quoque incuruati imago talis eſt: Vir in genua prolapſus tenens in manu clauam interficiensq; Leonem: aliquãdo vir cum Leonina pelle in manu, talesque figuræ in de-

cente lapide ſculptæ ad victoriam conferunt bellicam, maxime ſi in Achate geſtetur.

Cygni ſiue gallinæ imago, expanſis alis colloq; incuruato, figura gratum geſtantem reddit populo, ſcientem, diuitem, podagramque, paralyſin & quartanam pellit.

Cephei figura habentis præcinctum enſem cum brachiis & manibus expanſis in lapide ſculpta, cautum reddit, & ſcientem, & ſi puluinari dormientis ſupponatur, in ſomno res delectabiles facit apparere.

Caſſiopeia mulieris imago eſt ſedentis in Cathedra habentis manus porrectas ad modum crucis, aliquãdo cum triangulo in capite, in ſigno autem tauri cõſtituitur, & in ſeptentrionali parte, eius natura eſt de Saturno & Venere, ſi hæc ſculpta fuerit in conuenienti lapide, virtus eius erit, hominibus ſanitatem præbere,

infirma

infirma & defatigata corpora reſtaurare, quietem & tranquillitatem poſt conceptum laborem geſtantib. præbere, amœnum & ſuauem ſomnum præſtare.

Andromeda puellæ imago eſt, habens crines ſparſos, ac remiſſas manus, à tauro continetur in ſeptentrione, Venerisq; naturæ eſt: eius virtus eſt, ſi in lapide ſculpta erit, rixas & iurgia inter virum & vxorem ortas reconciliare, & ſtabilem amorem firmare: & à quamplurimis infirmitatibus cuſtodire.

Perſeus, enſem in dextra manu, in ſiniſtra caput Gorgonis habens, imago eſt, ac locatur in tauro, & in ſeptẽtrionali parte, vim Saturni habet & Veneris, ſi in lapide ſculpta fuerit, ab infortuniis geſtãtem auertit, & à fulgure, & tempeſtate preſeruat, non ſolum geſtantem, ſed & loca, vbi continetur, falcinationes quoque ſoluit.

Serpen-

Digitized by Google

Serpẽtarius eſt hominis figura habentis ſerpentem tenentis in dextra caput,& in ſiniſtra caudam: eſt in ſigno Scorpionis, & in Septentrione, naturam habet Saturni & Martis, Virtus eius in lapide ſculpta eſt valere contra venena, venenoſorum animalium morſus curare,& ſi lotura eius bibatur, facit venenum euomere ſine læſione.

Aquila ſiue vultur cadens,eſt imago aquilæ volãtis cum ſagitta ſub pedibus,in cancro, & ſeptentrionali parte collocatur, de natura Iouis & Martis eſt,ſed ſagitta de natura Martis& Veneris:hæ cõſtellationes cum in lapide ſculptæ erunt, geſtantis veteres honorum gradus conſeruare,& nouos acquirere, adque victoriam conferre dicuntur.

Piſcis ſiue Delphinus eſt imago gibboſi piſcis: eſt in ſigno Aquarij & in Septentrione, naturam habens Satur-

Saturni & Martis, quod ſi in lapide ſculpta ſit; artubusq; alligata fuerit, geſtantem fortunatum efficit in piſcando.

Pegaſus ſiue equus alatus, vel ſecundum aliquos medietas equi cum alis: ſecundum alios totus equus cũ alis: & ſine freno, in ſigno arietis, & in ſeptentrionali parte naturam habens Martis & Iouis: ſi ſculptus fuerit in lapide, geſtanti in campeſtri bello victoriam præbet, & velocem, cautum, audacemque reddit: ſi vero equi collo ſuſpendatur, aut in aqua ponatur, vbi bibat equus, à multis infirmitatibus eum liberabit.

Cætus eſt figura magni piſcis cum cirruata cauda & magno ore, continetur à tauro, & in meridionali parte naturamque obtinet Saturni: in lapide hæc figura ſculpta ſi ſupra dorſum habeat ſerpentem criſtatum, in mari geſtantem fælicitat, eumque pruden-

Digitized by Google

prudentem & amabilem reddit, & ablata restaurat.

Orionis armati hominis imago cum ense seu falce in manu collocatur in signo geminorum, & in parte meridionali, Iouis, Saturni & Martis naturam habet, hæc figura in lapide sculpta, gestantem reddit victoriosum, & de inimicis victoriam reportare facit.

Nauis imago est cum retorta prora, & eleuato velo, & aliquando sine & cum remis, continetur à leone, & in meridionali parte, est naturæ Saturni & Martis, in lapide autẽ sculpta securum reddit gestantem in agendis rebus in mari, & aqua, nec ab aqua damnum capere permittit.

Canis imago est figura canis leporini cum cauda curuata, existit in signo Cancri, & meridionali parte naturam Veneris habens: si in lapide sculpta sit, ipsam vim habere dicunt libe-

liberandi totaliter lunaticos, maniacos, Dæmoniacos.

Leporis ad similitudinem leporis imago est cum extensis auribus & pedibus, ac si in cursu esset, in signo geminorum collocatur, & in meridionali parte: natura eius est Saturnia & Mercurialis: virtus huius est phreneticos curare, & contra Dæmonũ versutias valere, nec à maligno spiritu gestans poterit lædi.

Centaurus, est figura tauri vlq; ad collum, reliqua hominis tenentis in sinistra manu hastam quiescentẽ supra sinistram spatulam cum appenso lepore: in dextra vero manu bestiolam resupinam cum lebete appenso: in libra & meridionali parte constituitur: estque naturæ Iouis & Martis, virtus huius sculpturę est reddere gestantem constantem, & sanum perpetua sanitate.

Canis imago sedentis in Cancro, de natu-

de natura Veneris est : si in lapide sculpta fuerit, tecumque portaueris, hydropem non timebis, & à peste, canisque morsu liberaberis.

Sacrarij seu thuribuli figura de natura Veneris & Mercurij, cum accēso igne, si in lapide sculpta erit habilem gestantē ad conuocandos spiritus efficit, ac in eorum conuersione esse, eosq; reddit obedientes: dicunt etiam gestantem reddere ornatum perpetua virginitate, cum castitatem inducat.

Hydræ seu serpentis imago est serpentis figura habentis supra se vrnam circa caput, & coruum circa caudam, de natura Saturni & Veneris: virtus eius est efficere gestantem ditissimū, astutum, cautum, prudentem, & à nociuis rebus liberum, & resistit omni noxio colori.

Coronæ australis figura, imperiali coronæ assimilatur, de natura Saturni &

ni & Martis, in augendis diuitiis eius virtus est, hominemq; hilarem, & iucundum reddere.

Agitatoris seu aurigæ imago est hominis figura in curru tenentis hircum in humero siniſtro: collocatur in signo geminorum, & in septentrione, naturam habens Mercurij: hæc figura in lapide sculpta facit gestantem venatorem & fortunatum in capiendis animalibus.

Vexilli imago fit in similitudinem vexilli expansi in extremitate hastæ. Hæc in lapide sculpta efficit gestantẽ in militia fortunatum, ac victorem in campestri bello.

Imago Leonis sculpta in auro, Sole existente in Leone, Luna Saturnũ non respiciente, præseruat à calculo calidisque ægritudinibus.

Scorpij imago in annulo aureo & lapide bezoar impressa, aut sculpta Luna existente in Scorpione, sicque

Scorpius

Scorpius in vno ex cardinibus mundi, ad puncturam Scorpionis valet.

Imago aquarij prodest ijs, qui habent fallas imaginationes, vt sunt melancholici, quartanarij, maniaci, oportet autem vt fiat in die Solis & hora eius, & non sit Iupiter combustus, neque Sol sit Ioue altior; neque Saturnus sit in ascendente, neque in 19. gr. Arietis: 3. 15. 27. Tauri: 11. Geminorum 3. 4. 12. 15. 19. Cancr. 2. 5. 19. Leonis: 3. 13. 30. Virginis: 3. 5. 21. libræ; 7. 18. 20. 21. Scorpionis: 13. 20. Sagitarij: 12. 13. 24. Capricorni; 7. 18. 20. Aquarij: 13. 20. Piscium.

Imago piscium, Sole existente in piscibus in 12. domo & Luna in ascẽdente, dominoque ascendentis, & domino domus sextæ aspectu sextili aut trigono respicientib. ad inuicem, aut saltẽ Luna respiciente alterutrũ, à podagricis doloribus gestantẽ sub plãtis pedũ liberare experimẽto dicitur.

Verum tempus electionis in figuris lapidibus inſcribendis vel inſculpendis diligenter obſeruandum, maiorem enim tunc è cœlo virtutem ſuſcipere, ſi ſtatis temporibus opportunisq; inſculpantur, ſic enim magis influunt ſidera. Vnde amorem excitare beneuolis, odiũ vero accendere volens, iniquis aſpectibus vtitur. Saturni igitur imaginem fabricari volunt ipſo exiſtente in Capricorno vel Aquario, Iouis in Sagittario & piſcib. Martis in Ariete & Scorpione, Solis in Leone, Veneris in Tauro & Libra, Mercurij in Gemmis & Virgine, Lunæ in Cancro. Sic Leonis vel Cancri imago annulo vel lapidi infigi debẽ, Sole Leonem, Luna vero Cancrum peragrante, ita tamen, vt vterque ab omni impedimento ſit liber, præſertim vero à radijs Saturni vel Martis. Tenendum etiam quodlibet ſignum quamdiu Sol in eo eſt, viuum fieri, cæteriſ-

cæteriſque dominari, effectumque eius præ aliis ſentiri, ideoque ſemper Planetam dirigendum ad locum eſſe, id eſt, ſignum faciem & gradum, quem Sol illuſtrat.

Hactenus de imaginibus Magicis priſcorum Sapientum, quas eam potiſſimum ob cauſam hic enumeraſſe placuit, vt planũ fiat ex Magicæ Philoſophiæ, hoc eſt, veræ & naturalis Magiæ, non Goetiæ & Necromantię principiis eas eſſe extructas, quamq; certum eſt ſuperſtitionem in multis per abuſum irrepſiſſe: *Vſus habet laudẽ, crimen abuſus habet.* Si quis enim cum ſuperſtitione ad male agendũ eas referre velit ordini diuino & ipſius artis, ex qua fluxerunt, principiis, erit contrarius eique verendum, ne deliris ſuperſtitionib. circumuentus, delirus totus euadat & ſuperſtitioſus.

Cęterum ijſdem fere ex fundamẽtis & cauſis etiam nunc conflari in-

ceperunt laminæ auratæ, argenteæq; rotundæ, quadratæ, vel triangulares, quibus certæ planetarum signaturæ & characteres ad certos cœli positus & configurationes seu constellationes insculpuntur, pro cuiusque Planetæ fauore atque influxu cõciliando: imprimi enim recipi, atque retineri in eiusmodi figuris, & simulacris, certa specie, imaginibusque insignitis, planetarum influxum, rationi & experientiæ consentaneum est. Hoc interim accuratissime obseruãdum, vt Planeta, cuius influxum petis, sit fortis & fortunatus, hoc est, in proprio domicilio, exaltatione, vel triplicitate, in Orientis angulo vel Medio cœli, liber à malis radiis Saturni vel Martis, fultus Veneris vel Iouis trigono, aut Sextili, vel iis iunctus, directus, velox cursu, non combustus, ascendens in circulo augis. Exemplo sit Mercurius, cuius influxũ

si quis

ſi quis pro intellectu, ingenio, memoriaq; acuenda conciliare ſibi cupit, obſeruet, quo tempore anni Mercurius in geminis vel Virgine, in quibus ſignis ſuum habet domicilium, ſit fortis & fortunatus in Oriente vel medio cœli: inuenta hora horæque minuto, fiat cœleſtis figuræ vna cum aſpectuum dilineatione diligens & artificioſa ſculptura in argento puro, quæ poſtea ſerico albo incluſa reſeruatur, tiaræque, ea parte qua præciſe cerebellum contingit, additis moſchi optimi aliquot granis, inſuitur: præcipue autem de nocte, ac euidentius illa hora & tempore, quo ſculptura & inchoata, & abſoluta, operationem perficere, animaduerſum eſt. Hoc anno 1608. Mercurius fortis & fortunatus repertus eſt circa 11. Maij, horamque matutinam ſecundam: Iterumque fortiſſimus & fortunatiſſimus exiſtet circa 14. & 15. die

menſis Sep. emb. Paulò ante & poſt horam maturinam 5. quo tẽpore Solem in orientali cardine antecedit in proprio domicilio, exaltatione, & felici Iouis triquetro.

Atq; hic modus intellectiuam potentiam memoriamque exacuendi è cœlorum virtutibus eſt, ex vegetabilibus quoque animalibuſque, nõ parum me gratiæ initurum ſpero apud eos, qui memoria ſunt fragili & fluxili, licet ad intelligendum excitati, q remedia quædam pro memoria corroboranda, quibus clariſs. & doctiſs. viros feliciter vſos ſcio, hactenus inter ſecreta abſcondita latuerunt, exprompſero, non inuidens, quæ publico poſſunt eſſe vſui. Multa autem ijs ineſſe ſcias, quæ neque temperamento, neq; materiæ vel vlli qualitati manifeſtæ inhæreſcunt, ſed ſoli proprietati cuidam occultæ aſſcribenda ſunt.

Recipe

Recipe cordium hirundinum, adhuc palpitantium numero 7. turturum num. ij. menthæ ſiccæ, pulegij, verbenę, eufraſiæ, coriandri præparati, galitrichi, ſing. vnc. 1. florũ roſmarini vnc. ſ. calami aromatici, cinnamomi, ſing. vnc. 2. garyophillorũ vn. 1. ſ. moſchi, & Galliæ moſchatæ, ſing. grana vj. mellis anacardini, ſtyracis calamitæ ſing. vnc. ſ. quæ ex his patiuntur trituratione, redigantur in puluerem tenuem, cumque aqua fœniculi redigantur in Paſtillos ad formam nuclei palmulæ. Vſurus hunc ſeruabit ordinem. Purgato corpore ſo. noctib. nihil præter paſſulas cum amygdalis paucis & pauco pane cœnabit, prandium autẽ erit aſſa gallina, aut pullus gallinaceus, turtur, perdix vel ſimile quid, potus vinum vniuſ anni modice dilutum. Singulis autem noctibus prope ſomni horã, paſtillus dextræ nari inſeretur, coteque

obturabitur, ſicque ſeruabis, non vltra quam XX. Virgilij verſus recitaueris: elapſis diebus aliquot, paſtillum ſiniſtræ nari aqua roſarum madefactum indito, omniaque, quæ lecturus es, tenebis, vel intelligentia cito aſſequeris. Abſtinendum vero, qui memoriam ſic ſeruare omnino cupit, ab ebrietate, venere, cruditate ventriculi inprimis, omni ſatietate, fructibus viridibus, oleribus, carnibus ſalitis, omnibusque flatus generantibus. Poſtrema menſa coriandri præparatum ſemen aſſumendum eſt. Inprimis quoque curandum, vt diligenter & probe præparetur. Non quoque innoxium erit, per interualla paſtillum vnũ ore detinere ac deglutire. Iuuabit quoque paſtillum ſuper prunas proiicere, vt fumus probe recipiatur in nares, receptus retineatur, naribus goſſypio obturatis, ne exhalet, vel etiã paſtillos aliquot

aqua

Digitized by Google

aqua lauendulæ vel roſacea, vel aniſi diſſoluere, frontemque tempora nares, & occipitium circa memoriæ capſulam mane & veſperi frequenter madefacere, inque nares linteola pura ea imbuta immittere. Atqui hoc remedium paucis patefactum eſt.

Communius eſt, licet à multis hactenus occultatum, quod recipit:

Zinziberis, piperis longi, galangæ, garyophyllorum, cubebarum ſing. vnciam vnam: nucis moſchatæ vnciam vnam & ſemis, in puluerem redacta condantur ſacco lineo, coquantur in vini optimi menſura vna & dimidia in olla noua vitreata bene obturata, ne fiat euaporatio, lento igne, bibatur de hoc vino tribus ante inunctionem diebus ieiuno ſtomacho plenus & fortis hauſtus, ſimiliter & veſperi: quo facto hyeme ad ignem, æſtate vero ad Solem capitis pori frictionibus, & pectine diligen-

tiſſime aperiantur, vt vapores fuligineſque exhalent, ipſumque caput lauetur aqua ruthę implici, poſtea circa tempora & occipitium cellamque memoriæ fiat inunctio ſequenti vnguento, quod recipit:

Florum caulium, liliorum alborum, meliſſæ cum floribus menthæ criſpæ ſing. manip. i. contuſis, adde olei oliuarum vncias ij. & ſemis, butyri vaccini maialis non ſaliti vncias iiij. Vini ſublimati fortiſs. cochlearia iij. aquæ roſarum cochlearia iiij. bulgoſſi, ruthæ, chelidonij, ſaluiæ, ſing. cochl. ij. commiſceãtur omnia, & bulliant ſuper ignem ſine fumo & flamma, poſtea reponantur in vitreo vaſe, inſoluentur dies aliquot, vt color in cereum conuertatur, & parabitur ante inunctionem capitis, paratum biennio viget in virtute ſua. Herbæ autem ipſæ colligẽtur in Solſtitio æſtiuali, moxq; diſtillandæ ſunt

& ad

& ad vnguenti compoſitionem aſſumendæ. Tridiali igitur purgatione præmiſſa cum dicto vnguento inungantur tempora, cella memoriæ & occipitium, maneasque calidus & quietus, donec ad interiora penetrarit, & hæc fient à principio per dies 4. poſtea vero ſingulis annis ſemel tantum per biduũ creſcente Luna: in tertio anno nõ erit neceſſaria inunctio, nili ſemel anno: alimenta ſint facilis digeſtionis, & potus moderatus, excedens enim & continuata hic ebrietas venenum eſt. 3. Et hoc ſequẽs vnguentum excellens eſt, quod recipit, radicis buglooſſi, valerianę ſing. vncias 3. radicis ruthæ vncias ij. redigantur in puluerem: deinde recipiantur ſucci eufraſię, hormini, verbenę ſing. vncias iiij. colentur per pannum. Poſtea miſceantur ſucci & pulueres, addas medullæ anacardiorum vnciã vnam, linguæ auis, id eſt, ſeminis fraxini in

puluerē redacti drachmas iiij. cumq; pinguedine vrsi dat vnguentum, quo inungantur tempora, frons & memoriæ cellula. Hoc magni viri vsi sunt: inunctionem suadent fieri debere ter vel quater in anno, ego singulis mensibus, si ratior operatio animaduertatur.

Sed vt ab animalibus & vegetabilibus ad cœlestia reuertar, eodem plane quo Mercurij, modo & forma reliquorum planetarum vires atque influxus conciliari poterunt, vt pro honoribus & dignitatibus, principum ac Magnatum fauore atque beneuolentia impetranda, imago Solis existentis in Leone & domo decima, in trigono Iouis vel Lunæ: impeditur tamen hoc anno 1608. Solaris influxus ob Martis oppositum ex aquario, quod ipsius etiam aeris insignes ac insolitæ mutationes aperte demonstrant. Vnde in his figuris

formam-

formandis vnice ſpectandum, vt is Planeta, cuius quis ſibi virtutem & influxum cupit conciliare, ab omni impedimento ſit liberrimus.

Verum, cur & vnde annuli, imagines & figuræ in certo metallo vel lapide ſculptæ, creditas habeant vires, non temperamento, non manifeſtis qualitatibus, non toti ſubſtantiæ eſt aſſignandum, ſed diuinæ & Magicæ, hoc eſt, ſuperiori cuidam & ſublimiori cauſæ, quam non inconuenienter Spiritale vehiculum & vinculum quidam appellitarunt: hoc mediante corpus & anima ſubſtantiæ inuicem diſtantes copulantur inuicem, hac Magnes trahit ferrum, cichoriumque motum Solis inſequitur.

Hoc vehiculo & vinculo intercedente ſeu interueniente, Mercurius efficax eſt in hydrargyro, memoria & cogitatiua acuenda vel debilitãda.

alectoria lapide, colore & sapore mixto, Ægypto, Græcia, Anglia, Flandria, Silesia.

Hac vehiculo interueniente, Luna efficax est in argento & vitris, cerebro, oculo sinistro viri, mulieris dextro, colore albo, cœruleo & cinericio, sapore salso, mediocri odore, crystallo, climate septimo, Flandria, Hollandia, Selandia, Dania.

Saturnus in plumbo, aure dextra, splene, vesica & ossibus; colore nigro, liuido & plumbeo, sapore stiptico, lapidibus nigris & obscuris, climate primo, orientis dextro, Saxonia, Styria, &c.

Iuppiter in stanno, pulmone, costis, pulsu, semine, aure sinistra, colore fusco, purpureo, flauo, viridi: Smaragdo, Sapphyro, Amethysto: sapore dulci, Climate secundo, septentrione, Babylonia, Persida, Vngaria, Hispania.

Sol in

Sol in auro, corde, arteriis, oculo, dextro, latere dextro: colore aureo, croco, subruffo; hiacyntho: sapore acuto & acri, odore bono, non excedente: Climate quarto, Oriente.

Mars in ferro, aure: sinistra, felle, renibus: Iaspide: sapore amaro, felleo, acuto: colore rubeo: climate tertio, Septentrione, Sarmatia, Getulia, Longobardia, Gotia.

Venus in Cupro & omnis generis speculis: matrice, renibus, mammillis, gutture, genitalibus, epate: colore albo: sapore vnctuoso, dulci & pingui: margaritis, Sapphyro, & carbunculo: Climate quinto, Austria, Arabia, Campania, Polonia, Heluetia.

Huius igitur influentib occultæ principium petere ex principibus & manifestis illis qualitatibus, temperamento vel tota substantia, nõ tam absurdum quam ridiculum est, cum illorum,

Digitized by Google

illorum, à quibus hæ virtutes promanant, actiones corporeæ non ſint, & ſine corpore cœlitus illibantur. Quare nulla hic opus ex ſenſib. menſura, nulla ambitioſa verborum pugna & inani demonſtrationum conatu. Omnis philoſophicæ demonſtrationis initium à ſenſibus & qualitatibus non peti poſſe, ſed aliunde petendam, vel ex hoc vulgato patefcit, ſi quis quærat de albæ roſæ colore, vnde ſcilicet ducat originem, cauſamque velit frigidiori temperamento aſſcribere, quid quæſo dicet de rubra? Intybi ſpecies lacteumne iccirco ſuccum fundere dices, quod ſint frigidæ? at complures calidiſſimę, vt ſunt tithymali, qui eodem turgent & madent ſucco. Et aloe iccircóne amara eſt, quia calida? Atqui in opio quod pernitioſo frigore necat, amaritudo eſt eximia. Et licet ex totius ſubſtantiæ proprietate talia promanare

manare concedatur, ſublimior tamen & præſtantior opifex, inſculptor & formator ſupra illam in noſtro myſterio collocandus eſt & quærendus. Fruſtra igitur Alexandrei ad manifeſtas qualitates omnia referre conati ſunt, quod Scalig. *exerc.* 318. ſummæ ait eſſe impudentiæ, & ſaltem in venenis decuit illos acquieſcere. Videmus è naturæ gremio & ſinu quædam prorumpere, quorum cauſæ etſi ſint plane inexplicabiles nobis, iuuat tamen interea & voluptati eſt Philiatro, rerumque naturalium induſtrio, ſagacique inueſtigatori, probabiles rationes comminiſci, quas ſi non aſſequitur plane, non tamen rebus manifeſtis derogat fidem, nec effectus calumniatur, ſed naturam eiuſq; opificem admiratione proſequitur.

Hactenus de admirãdarum & occultarum in natura actionum principiis

cipiis & cauſis, reliquum nunc eſt, vt ſupra propoſitæ quæſtionis explicationem ex commemoratis iſtis principiis deducamus.

Conſtare autem omnib. arbitror ex ijs, quæ in publicum ſunt à me prolata, plantas, radices, lapides, metalla, ſpiritus & aſtra, diuina quadam conſortij lege conſpirare, quod non aliunde accidere videtur, quam vt Plato in Timæo docet, quod cuilibet rerum ſpeciei peculiare aſtrum, vt polus magneti, & proprius homini genius à diuina mente ſit cõſecratus & dicatus, vt ita quælibet planta, metallum ac lapis, certæ ſtellæ vel aſtro ſit ſympathericus. Sed hæc quo ſublimiora, eo altius, ac diligentius à primordijs repetenda ſunt & inueſtiganda. Conſentiunt omnes, Cœlum & omnia olim proxime à Deo fuiſſe procreata, à Deo vires accepiſſe & retinere diuinas, quibus tum ſe conſer-

conſeruent, tum generis ſui propagationi incumbant. Et hoc ſenſu puto, à vereribus dictum, Deum, per naturas eſſe diuiſum, & Deorum plena eſſe omnia, quod vis illa diuinitus accepta in omnibus permaneat, ſed aliter in cœlo, aliter in caducis rebus, in quibus obſcurior, in cœlo autẽ ad rerum generationem præſtãtior. Quæcunq; igitur Deus tum in cœlis tũ in terris progenuit, omnia vnus tuetur atq; regit, cœleſtia quidem per ſe & proxime, animantia vero & ſtirpes aliaq; mortalia cœlorum ope & interuentu, quibus naturæ leges tum procreatrices tum conſeruantes indixit. Iraq; animantium ſtirpium lapidum & metallorum omnium quæcunque fuerunt & eſſe poſſunt, formas vna cœli forma poteſtate comprehendit, & innumerabilibus illa, quaſi grauidata formis omnia gignit & fundit ex ſe, & ſic vna vis & facultas præ ſe fert omnium

omnium caducorum vires, vt ita cœlum nullo semine multas proferat, tum animantes tum stirpes: at semen sine cœlo nõ generat quicquam, sed gignendis rebus materiam duntaxat & cõuenienter, apparat ac instruit, cœlum vero in apparatam illam speciem summamq; perfectionem immittit vitamq; suscitat in omnibus, lucido spiritu intercedente, hic enim mundi & cœlorum existit vector, in totam vniuersitatem diffusus, rebus singulis simul & speciem, & natiuum vitalemque calorem impertit gignẽdis illis accommodatum. Is enim omnia continet, calore vitaque fouet, huius vi & ope & inanima quæque persistunt, & animata sui quæque generis habent animam, alia nutrientem quidem, alia sentientem, alia rationis participem. Sic tamen vis illa cœlitus demissa rebus sese accommodat, sic singulis inseruit, vt quantum cu-

tam cuiuſq; natura deſiderat, quantum ipſa ſubiecti ratio & códitio ferre poteſt, tantundem exhibeat. Nec tamen illa virtus ſui ſemper eſt ſimilis, aut vno ſe ſemper & modo eodem ſe rebus exhibet, ſed alias aliter pro ſtellarum ſtatu multiformi, quarum commixtio implexioq; plerunque euariat, tametſi vectoris ſpiritus vna ſemper eſt, & impermutabilis ſubſtantia.

Fieri igitur non poteſt, vt quidam exiſtimant, mundi Spiritum, vitã ſtatumque rebus omnibus ſic impertire, vt ne minimam quidem aſtrorum opem deſideret, hoc enim ſi eſſet, ſimilia ſimiliter, id eſt, pari menſura perpetuo generaret. Vitalem quidē animam ſecum affert, & naturam ipſam, ac quæcunque ſubierit. Vitalia facit, ſed pro cuiuſq; ſubiecti natura, conditione & apparatu.

His ita præſuppoſitis, quod videlicet

licet diuinæ cœleſteſque vires ad rerum omnium procreationem, & cõſeruationem concurrant, perq; communem illum vectorem ſpiritũ, intermediæ inter cœlum & ſublunaria ſubſtantiæ, omnes mundi partes cohæreãt, & cuncta cõplexu concilientur, nihilq; in viuente mundo ſit tam abiectum, cui non infuſus ille Spiritus diuinorum cœleſtiumq; operum aliquid elargiatur, è cœlo & ſiderib. vires & proprietates, vitæq; ſeminaria inuehens, cõfundens & permiſcens, ſicque omnibus inter ſe concinentibus, vt grauiſſimis Tullij verbis vtar, neceſſario omnia vno diuino & continuato ſpiritu cõtineri, hæc inquam cum ita ſeſe vere habeant, quis ſanationem, factam per vnguentum armarium, quo vulnus etiam non applicatis remediis curatur, inſtrumẽto tantum eo vnguento delibuto, non naturalem, ſed ſuperſtitioſam dicet

& impo-

& impoſtoriam? Nemo ſane, niſi harum rerum omnium ignarus; quique ſenſibus omnia metitur. Fit enim illa ſanatio per meram naturam atque magneticam quandam efficientiam, attractionem & deductionem, nec nõ toties decantatum vectorem Spiritum, qui tanquam medium vinculum primo ex definitis & propriis conſtellationibus ſympathian, & copulam ſeu conuenientiam inducit, ex qua deinceps vis ſanatoria in telum medicarum deriuatur, è quo poſtea egreditur, & ad partem vſque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione iſtius virtutis conſequitur effectus. Nec tamen dubium phantaſian patiẽtis plurimum hic habere momenti, (iuxta illud Hippocr. in medendo ſæpe concurrunt ſpes, fiducia & fortuna,) tum ad balſamicam in ſanguine exiſtentem virtutem à telo medicato attrahendã dirigen-

dirigendamque ad partem affectam & læſam, tum ad mouendum principium ſanatiuum in corpore exiſtens. Cœlum igitur, quod pluribus & vni influit, imaginatione, quæ ſemper adeſt, & ſympathiam, quæ intercipi aliquando impediriue, deſtrui non poteſt, ad determinatam in corpore partem vim ſanatoriã deducere ſtatuendum eſt. Nam inter vulnus & telum eſt vis attractrix & deductrix, hæc partem ſpectat affectam, id eſt, vulnus, hoc eſt, traductio, fit ad partem vulneratam, virtutis vero attractio ad telum medicatum.

Verum obiicitur, ſpatium interueniens, tempus, & locus, quę iſtam deductionem, ſanationemq; impediãt, nec admittant, nihil enim vltra determinatum agere ſpatium, item corpus à corpore ſanando tangi neceſſe eſt, tangere enim ſe proprie dicuntur, quorum extremitates ſeu fines

ſunt

ſunt ſimul. Iam autem ſola corpora tenent ſuperficies. Ergo ſola corpora ſe tangunt. Talis autem contactus non fit inter vulnus & telum medicatum, ergo ſanatio quoq; per illud impoſtoria eſt & Magica.

Præcipui hi ſunt arietes, quibus pars aduerſa & ſenſuales Philoſophi ad euertendum ac explodēdum, naturæque finibus excludendum miraculoſum vnguenti armarij effectum vtitur. Sed facilis occurſus eſt. Et miſeret me eorum. Quis enim neſcit multa ex interuallo exercere actionē ſuam, quorum ſcilicet ſuperficies nullo modo coniungi poſſunt, & nihilominus ſunt ſimul, vt Sol & hominis corpus, quæ ſuperficiebus licet coniungi non poſſunt, radiis tamen intermediis coniunguntur, non enim poteſt Phyſicum agens agere in extremum, quin prius agat in medium, cum omnis actio phyſica fiat

per contactum. Idem Sol per orbem Lunæ calefacit mundum inferiorem, licet neque ipsum tangat, neque sphæram Lunæ calefaciat. Sic omnia illa corpora, inter quæ est sympathia & antipathia, mutuo se afficiũt, exercentq; operationes suas citra vllum visibilem cõtactum, id est, vnius virtus defertur ad alterũ mediante Spiritu intercedente, ita, vt licet spatium sit maximum, citra tamen vllam alterationem, nec ventis dissipetur, nec etiam aere vasto, humido, frigidoue rapiatur atque discutiatur, sed propter naturalem communionem, similitudinem, nexumque conseruetur atque continuetur.

Sic in contagionibus quoq; nullus fit contactus corporum, vt in certo lippitudinis genere afficiuntur oculi illorum, qui lippum intuentur, item grassantibus febribus pestilentialib. multi inficiuntur, qui ad ægrotos nun-

tos nunquam acceſſerunt, hoc eſt, quorum extrema nunquam fuerunt ſimul, maligna enim & putrida iſtarum febrium qualitas corpora contaminat propagando ſe diffundendo & continuando.

Itaque qui alium morbo inquinat non neceſſario eundem tangit, nam putridum halitũ vaporemq; in pannum veſtemue aliquam (in his enim & ſimilibus ſeminarium contagij ſæpe deliteſcere experimentis patefactum eſt) expirans, qui poſtea alium multos poſt dies inficit, non recte dicitur infectum ſic contaminatumque tetigiſſe, cum nihilominus tamen citra dubium affirmari poſſit, morbos de homine vno ad alium non tranſire abſque corpore aliquo, id eſt, non tranſportari abſque vapore ſeu ſpiritu vel humore. Ac ſpiritales qualitates hic plurimum valent. Licet enim ſecundum modum &

existentiam, qua existunt, per se actionem corpoream non edant: per accidens tamen nihil prohibet, quo minus per medium idoneum propagentur, quod medium nihil est aliud quam spiritus vaporue mediæ cuiusdam inter corporeas & incorporeas substantias naturæ, qui spirituales actiones in se recipiat, aerique repræsentet, cumque sit corporeus, contactu suo realiter alteret. Vnde verissimum euadit, multas esse actiones, ad quas non sit opus eo, qui vere & solus contactus est, cum in se mutuam actionē exercent corpora multa, quæ sunt simul nō per contactum corporis, sed virtutis, estque hæc virtus, quam per intervalla exercēt corpora, effunduntque, qualitas corporis expers, in qua sola inest efficacitas. Sic vis ex vngiento exiens effundit se non in lapidem, ferrum vel lignū, quibus cum nullam habet coniunctionem,

ctionem, ſed virtute motoris ad vulnus ſe propagat.

Primum enim mouens in vnguento, eſt vis balſamica in ſanguine & vſnea, quæ mediante ſpirituali vinculo ad vulnus vſque continuatur, & niſi intercapedo ſit nimia, fiũt vnum per vtriuſque formæ cõiunctionem, coniunguntur inquam, quia formæ ſeipſas propagant & promouent, ita vt etiam egredientes in media intercapedine mutuo occurſu vniantur. Simul igitur ſunt mouens, & quod mouetur, ita vt, vel ſecundum immediatam ſuperficierum applicationem ſe contingant, vel vt vnius virtus ad ſuperficiem alterius, atque ita in corpus alterius deducatur, ſiue id fiat lumine, ſiue radiis, ſiue qualitate occultiore & contactu ſpiritali. Quare vngentum attingit vulnus ſeu cõiungitur vulneri, vt efficiens & agens patienti, ſeu vt cauſa tranſmutans, alteranſ-

teranſq; corpori tranſmutando, quo etiam modo cœlum cõiungitur terræ, quæ tamen ſecundum ſuperficiem illi non eſt contigua, hoc eſt extrema cœli & terræ ſe non contingunt, vt ita veriſſimum ſit agẽtia longo ſæpe interuallo diuulſa eſſe ab iis, quæ patiuntur, vt ſi quis eminus videt hoſtem, etſi hic viciſſim illum non viderat, repente tamen commouetur, expalleſcit, trepidatq; & contremiſcit, qui certe motus animi ab externo agente, à ſpecie hoſtis obiecti ab oculo recepta, & ad ſenſum interiorem delata, in mẽtem primum, ab ea in corpora deinde deriuatur, agenſque longo interuallo à patiente eſt diuulſum.

Itaq; mouens cum re mota ſimul eſt, intelligi debet de agente proximo, hoc enim ſemper ſimul eſt cum re mota, vt ſunt imaginatio & Spiritus, id quod in titillatione quoque conſtat,

constat, quæ sæpe fit sine contactu & attrectatione, & nihilominus tamen mouens & motum simul esse, recte dicuntur, scilicet per contactum internum occultum, qui fit vi spirituũ ab imaginatione impulsorum, parteſque illas, quæ titillationẽ perpeti possunt, ferientium, est enim motus illorum celerrimus Ex his quis non intelligit, falsas in physica positiones esse generaliter acceptas? 1. agentium & patientium extrema se semper contingunt. 2. Non est vis aliqua agentis in patiens, nisi illud hoc secundum extrema & superficiẽ contingat. Qualitas enim seu virtus cœlestis & magnetica mediante spiritu istius deductionis directioniſque in vnguento causa est, & quasi vehiculum, quo moto res vecta mouetur, similiter, nã in vehiculo requiritur, vt sit aptum ad vehendum, ad vehendũ autẽ aptissima virtus est magnetica,

cœleſtis, quæ quaſi interuenit & interiicitur inter telum obligatum & vulneratum locum, mouetq; ſeu dirigit vim ad effectum conſequendũ. Et qui ignorat vel negat, virtutem quandam æthęris naturis elementaribus à cœlo communicatam (quam Aſtrologiæ periti dicunt formas earũ complere & abſoluere) qua medi nte vis ac proprietas quaiundam naturarum formis implantetur, ac inter ſe corpora connectantur atque cohæreant, & ab hoc ordine nexuque ſimilitudinis naturalis ortum eſſe, indeq; mirandarum actionum cauſas eruendas, is in toto hoc myſt rio plane cæcutit. Inter virtutem enim & vehiculum primo ſympathia eſt, quæ poſtea deducitur trãſitque in telum, dehinc in vulnus ob familiaritatem & ſimilitudinem, hæc enim efficiens cauſa eſt, vt res inuicem vinciantur. Vnde inter telum obligatũ & vulnus

conta-

contactum fieri nemo inficiaturus est, licet is non fiat immediate extremis simul, & tangat quod remotum est primum, id enim in hoc mysterio necesse non est, cum enim principiorum hic actio corporea non sit, contactum corporeum etiam requiri opus non est. Vis enim seu virtus peruenit ad vulnus mediate, non per dęmonem, sed interuentu, vt dictum est, virtutis cuiusdam sublimioris & incorporeæ, quam Magiæ naturalis Doctores magneticam recte appellitarunt. Impostoria igitur sanatio nō est, Magica tamen. Impostores enim vere sunt, qui omne Magicum dicunt superstitiosum & impostorium.

Ad extremum ipsius vnguenti descriptionem & compositionem placuit subiicere, vt nemo nō intelligat, ex mere naturalib. rebus & quidem ipso homine id componi. Baptista Porta *l.*8. *c.*12. id describit, refertq; ad

authorem Paracelſum, qui huius illuſtrator amplificatorq; extitiſſe perhibetur, non author.

Recipit autem vſneæ concretæ in caluaria hominis ãeri derelicta vncias duas: (de hac autem non eſt conſenſus: alij petitam eam volunt ex capite ſtrangulati, alij parum referre aiunt, ſiue ſit ex ſtrangulati, ſiue ex alterius cuiuſdam capite. Verum cur ex ſtrangulati potius quam alterius cuiuſdam capite vſnea petenda, cauſas adhuc à nemine ſcripto explicatas atque allatas vidi. Ego, qui tamen aliorum eruditorum iudicio hic me ſubiicio, hanc afferri rationem poſſe exiſtimo, quod in ſtrangulando, Spiritus vitales ob præſentiam mali præſentis in caput ac cerebrum refugiãt, vnde quia regreſſus illis ob violentã illam conſtrictionem ad principium ſuum nõ patet, remanere eos, & eum ſpiritibus balſamoque capitis ac cerebri

rebri miſceri ac confundi neceſſe eſt. Et licet omnes functiones animales intereant, manet tamen calor ille in oſſibus, neruis, alijsque partibus ſimilaribus, qui & in lapide eſt, & pipere emortuo, ſcilicet elemẽtalis. His ita commixtis in balſamico ſanguine, vi caloris circumfuſi ambientiſq; humorem vita imbuentis, cœlique influxu cooperante, vſneam ceu vegetabili quadam vi & virtute in caluaria tandem progenerari veriſimilimum eſt, maioris potentiæ, quam eſt ea, quæ in alterius cuiuſdam ex morbo defuncti capite reperitur. In decollatis ſpiritus non retineri, ſed diffugere, euaneſcere ac diſſipari omnibus in confeſſo eſt.)

Mumiæ, ſanguinis humani, ſing. vnciam ſemis. (Præcipua ac potior cauſa eſt in ſanguine, in quo dominatur Spiritus ille vitalis, vegetabilis & balſamiticus.) Hæmatit. vnc. ſ.

Lumbricorum terreſt.aqua vel vino lotorum & exiccatorũ vncias ij. ſ.

Adipis humani vncias ij.

Adip. vrſ. verris apugni a. vncias ſ.

Ol. lin. terebinth. à drachmas ij.

Miſceantur omnia ſimul in mortario, ſeruenturque in vrna oblonga & anguſta: conficietur a. Sole exiſtente in Libra.

Immerge ferrum, quod ſauciauit, vel lignum, ſeu ramum ſalignum in apertura cruenta madefactum, in vnguentum, & ita relinque: æger mane ſua vrina vel pura aqua vulnus eluat, deligeturque puro panno lineo, ſemper pus extergendo, & abſque vllo dolore ſanabitur. Hoc Maximilianum Imp. comprobaſſe in confeſſo eſt. Si inſtrumentum quo vulnus inflictum eſt, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veri teli id inunge vtroque latere, reponatur loco mundo & calido, ſi enim aeri vel frigori

frigori exponatur, excitabitur dolor. Attendendum est etiam, cæsimne an punctim factum sit vulnus. In punctura enim telum inungendum est à cuspide capulam versus, in cæsura ab acie versus tergum. Meminisse præterea oportet obligare tela. Si non apparet, pars illa tantum, quæ fuit in vulnere. Cito sanaturus sæpe illine, si maturatione opus non est, intermitti quidam dies poterunt, imo sufficit, si senis diebus id fiat bis, vel ad summum ter, semper tamen vulnus mane abluendo, extergendo, iterumque deligando.

LOGIA,

Sive

ORACVLA ZOROASTRI, EX PLATONICORVM Libris collecta.

Monas, Dyas, & Trias.

VBi paterna Monas eſt.
Ampliata eſt monas quę duo generat.

Duitas enim apud hunc ſedet, & intellectualibus fulget.

Et gubernare cuncta & ordinare, quodcunque non ordinatum.

Toto enim in mundo lucet Trias, cuius monas eſt princeps.

Princi-

Principium omnis sectionis hic, est ordo.

In tria namque mens dixit patris secari omnia.

Cuius voluntas annuit, & iam omnia secta fuere.

In tria namque dixit mens patris æterni.

Mente omnia gubernans.

Et apparuerunt in ipsa virtus & sapientia.

Et multiscia Veritas.

Hinc, fluit Triadis vultus ante sentiam.

Non primam, sed eam, quæ mensuratur.

Principiis tribus hisce, capias seruire cuncta.

Et fons fontium, & fontium cunctorum.

Nutrix continens cuncta.

Inde affatim exilit, generatio multifariæ materiæ.

Inde

Inde tractus præstet exilis ignis flos.

Mundorum indens cauitatibus. Omnia namque inde.

Incipit deorsum tendere radios admirandos.

Pater & Mens.

Seipsum rapuit Pater, neque suæ

Potentiæ mentali claudens propriæ ignem.

Non enim à paterno principio imperfectum quid rotatur.

Cuncta namque perfecit Pater.

Et menti tradidit secundæ.

Quam primam vocat omne genus hominum.

Parrogenia lux, multum namque sola.

Et Patris robore decerpens mentis florem.

Opera enim intelligens paternâ mens è se genita.

Cunctis

Cunctis inſeminauit vinculum igni grauis amoris.

Quo omnia maneant, tempus interminatum amantia.

Neque omnibus, quæ patri mentaliter contexta, monſtret.

Vt in amore maneant, mundi elementa manentia.

Habet ipſa intelligẽtia, paternam mentem indere.

Omnibus fontibus & principatib.

Eſt enim finis paterni profundi, & fons mentalium.

Neque progreſſus eſt, ſed manſit in paterno profundo.

Et in adyto, per Deo nutriens ſilentium.

Non enim in materiam ignis trãs, primus.

Suam potentiam claudit operib. ſed meati.

Symbola enim paterna mens ſeminauit per mundum.

Quæ

Quæ intelligibilia intelligit, & ineffabilia exornat.

Tota partitio & impartibilis.

Mente quidem continet intelligibilia, sensum vero inducit mundis.

Mente quidem continent intelligibilia, animam vero inducit mũdis.

Mens, intelligibilia & mentalia.

Et vnius mens intelligibilis.

Non enim sine intelligibili mens est, non seorsum exiſtit.

Quædam sane sunt mẽtalia, & intelligibilia quæcunque dum intelliguntur, intelliguntur.

Cibus vero intelligenti, est intelligibile.

Disce intelligibile, quandoquidem extra mentem exiſtit.

Et mentis quæ empyreum mundum ducit.

Mentis enim mens est, quæ mundi est artifex ignei.

Qui

Qui ſuper mundanum paternum, profundum eſtis intelligentes.

Intelligibilis, omnis ſectionis princeps eſt.

Eſt enim quoddam intelligibile, quod oportet intelligere mētis flore.

Vel enim inclines vt mentem, & illud intellexeris.

Vt aliquid intelligens, non illud intelliges.

Eſt enim roboris circumquaque lucidi potentia.

Mentalibus fulgens ſectionibus, non ſane oportet.

Vehementia intelligere, intelligibile illud.

Sed menti amplæ, ampla flamma.

Omnia metiente, præterquam intelligibile illud.

Opus ergo eſt hoc intelligere, nam ſi inclinaueris

Mentem tuam, etiam illud intelliges non parum.

Sed

Sed purum conuerte oculum.

Ferentem tuæ animæ, tendere vacuam mentem.

In intelligibile, vt discas intelligibile.

Quandoquidem extra mentem existit.

Deum hunc intelligit omnis mẽs, non enim sine

Mente est intelligibili, & intelligibile

Non sine mente existit.

Ignis mentalis, mentalibus præsteribus cuncta

Cedunt seruientia, patris persuasorio consilio.

Et intelligere, semperque manere impigra vertigine.

Fonte & principij vertere, semperque manere impigra vertigine.

Sed nomen venerandum in somni vertigine.

Mundi indens, terribiles ob patris minas.

Sub

Sub duabus mentibus, vitigenius fons continetur animarum.

Et facta, qui per se operans fabre-fecit mundum.

Qui ex mente exiliit primus.

Indutus igne ignem. Vinculorum vt temperet

Fontanos crateras, sui ignis florem sustinens.

Mentalibus fulget sectionibus, amoreque impleuit omnia.

Infigurata figurans.

Examinibus similes, feruntur per-rumpentes.

Per mundi corpora.

Quæ mens dicit, intelligendo fa-ne dicit.

Potentia quidem cum illis. Mens vero ab illa.

Iynges, Ideæ, Principia.

Multa quidem hæ scandunt lucidos mundos.

Insilien-

Insilientes, & in quibus summitates sunt tres.

Subiectum ipsis est principale pratum

Principia, quæ patris opera intelligentes intelligibilia.

Sensibilibus operibus & corporibus reuelarunt.

Transuectrices stantes, dicere patri & materiæ.

Et manifesta imitamina latentium operantes.

Et latentia in manifestã. Cosmopeiam inscribentes.

Mens patris studuit, intelligens vigente consilio.

Omniformes ideas. Fonte vero ab vno, euolantes

Exilierunt. A patre enim erat cum filio & finis.

Per quæ coniunguntur patri, per aliam atque aliam

Vitam à compartitis canalibus

Sed

Sed partitæ ſunt mentali igne diſpoſitæ.

In alias mentales. Mundo namq; rex multiformi

Propoſuit mentalem typum, incorruptibilem, non per mundum.

Veſtigium promouens forma, per quæ mundus apparuit.

Omnifariam ideis gratioſus. Quarum vnus fons.

Ex quo ſtrident diſpertitæ aliæ.

Immenſæ perrumpentes mundi circa corpora.

Quæ per ſinus immenſos, examinibus ſimiles

Feruntur conuerſæ, circumque alibi alia

Conceptiones mentalem fonte à paterno

Multum decerpentes ignis florem

Inſomnis temporis. Vigor principigeniæ ideæ.

Prima è patris missa est, cuius per se florens fons.

Intellectæ Iynges à patre, intelligunt & ipsæ.

Consiliis ineffabilibus mouentur, vt intelligant.

Hecate, Synoches & Teletarchæ.

Ex ipso enim omnes exiliunt.

Amilictique fulmines & presteros capaces sinus.

Omnilucidæ vigoris patrogenij Hecates.

Et Hypezocus ignis flos & fortis.

Spiritus polorum, igneos trans

Custodire presterib. suis summitates dedit.

Immiscens vigoris proprium robur in Synochis.

Quo mundus habeat mentales sustentatores inflexiles.

Quia operatrix, quia largitrix est ignis vitiferi.

Quia

Quia & vitigenium implet Hecates ſinum.

Et influit Synochis vigorem vitidonum ignis.

Magni potentis.

Sed & cuſtodes operũ ſunt patris.

Aſſimilat enim ſeipſum ille, vrgens typum induere idolorum.

Teletarchæ, comprehenſi ſunt, cum Synochis.

His vero ignis mentalis, mentalibus preſteribus.

Omnia parent ſeruientia.

Sed & quæcunque materialibus ſeruiunt Synochis.

Induti armorum vigorem luminis reſonantis.

Vigore Triglicho, mentem, animamque armantem.

Peruarium Synthema iacere ratiocino.

Neque ſuperinceſtere empyreis ſparſim canalibus.

Sed collectim.

Hi vero indiuidua & sensibilia efficiunt.

Et corporiformia & destinata in materiam.

Anima, Natura.

Quoniam anima ignis potentia patris existens lucidus.

Immortalisque manet, & vitæ domina est.

Et tenet mundi multas plenitudines sinuum.

Mentis enim imitamen est, partū vero habet quid corporis.

Mistis vero canalibus, ignis incorruptibilis opera efficiens,

Post vero paternas conceptiones anima ego habito.

Calida animans omnia, reposuit enim

Mentem sane in anima, animam vero in corpore inerti.

Nostri,

Digitized by Google

Noſtri, impoſuit pater hominumque Deumque.

Affatim animans lucem, ignem, æthera, mundos.

Coexiſtunt namque naturalia opera, mentali ſplendore,

Patris, Anima enim eſt quæ ornauit magnum

Cœlum, & quæ ornat ſimul cum patre.

Cornua & ipſius firmata ſunt ſurſum.

Humeros verò circa Deæ, natura immenſa attollitur.

Imperat rurſus natura infatigabilis, mundisque, operibusque.

Cœlum, vt currat ſurſum æternum trahens.

Et celer Sol circa centrum, vt aſſuetus veniat.

Non naturæ inſpicias natale nomen eius.

Digitized by Google

Mundus.

Factor qui per se operans fabrefacit mundum.

Etenim quædam ignis moles erat altera, hæc omnia

Per se efficiens, vt corpus mundanum.

Mundus vt manifestus, & non videatur membraneus.

Totum mundum ex igne & aqua.

Et omnia lente aere.

Ineffabilia & fabilia synthemata mundi.

Aliam per aliam vitam à partitis canalibus.

Desuper permeantis in oppositum

Per centrum terræ & quintum medium alium Igneum, vbi descendit vsque ad materiales canales.

Vitifer ignis.

Centro

Digitized by Google

Centro incitans ſeipſum lumine reſonante.

Fontanúm alium, qui Empyreum mundum ducit.

Centrum quo omnes, vſque quo forte æquales fuerint.

Symbola enim paterna mens ſeminauit per mundum.

Medium inter patres ſingul[illegible] centrum fertur.

Mentis enim imitamen eſt, quod vero partum eſt, habet quid corporis.

Cælum.

Septem enim in moles formauit pater firmamenta corporis.

Cœlum rotunda figura circumcludens.

Fixitq; multum cœtum aſtrorum inerrantium.

Animaliumque errantium, conſtituit ſeptenarium.

Digitized by Google

Terram in medio posuit, aquamque in terræ sinibus.

Aeremque super hæc.

Fixitq; multum cœtum astrorum inerrantium.

Tensione, non laborioſa mala.

Sed fixione errorem non habente in motu.

Fixitq; multum cœtum astrorum inerrantium.

Ignem ad ignem cogens. (motu.

Fixione errorem non habente in

Sex eos constituit, septimũ Solis.

In medium iaciens ignem.

Inordinationem eorum, bene ordinatis suspendens zonis.

Parturit enim Dea, Solemq; magnum & splendidam lunam.

Æther, Sol, spiritus lunæ, aeris ductores.

Solariumque circulorum, & lunarium est redituum.

Sinumque aereorum.

Æthe-

Ætheris cantus, Solisque & Lunæ canalium & aeris.

Et latus aer, lunarisque cursus, & polus Solis.

Colligit ipsum accipiens ætheris harmoniam.

Solisque Lunæque & quęcunque aere continentur.

Ignis, ignis deriuatio, & ignis penu.

Crines enim in acutem nato lumini conspiciuntur.

Vbi Saturnus.

Sol assessor, intuens polum purum.

Aethereusque cursus, & Lunæ ingens impetus.

Aereique fluxus.

Solemq; magnum & splendidam Lunam.

Tempus.

Deum mundanum, æternum, infinitum.

Iuuenem & ſenem.

Et fontanum aliud, quod empyreum mundum ducit.

Anima, Corpus, Homo.

Oportet te feſtinare ad lucem & patris lumina.

Vnde miſſa eſt tibi anima, multam indiita mentem.

Hæc pater mente concepit, mortalisque eſt ei animatus.

Symbola enim paterna mens, ſeminauit in animis.

Amore profundo replens animam

Repoſuit enim mẽtem in anima: in corpore vero

Vos repoſuit, pater hominumq; Deumque

Incorpora quidem ſunt diuina omnia.

Corpora vero in ipſis veſtri cauſa ſunt alligata.

Non

Digitized by Google

Non potentes continere incorporeos corpora.

Ob corpoream in quam concentrati estis naturam.

Inque Deo iacent, faces trahentes, validas.

A patre descendentes, à quibus anima descendentibus

Empyreos carpit fructus, animam alentem florem.

Ideoq; mente concipientes opera patris.

Parcæ fatalis alam fugiunt, inuerecundam.

Et si hãc animam videris redeuntem

At aliam immittit pater, vt in numero sit.

Certe valdè illæ sunt beatissimæ super omnes.

Animas ad terram à cœlo profusę.

Illæque diuites, & ineffabilia flamina habentes.

Quæcunque à lucente, ô Rex, à te, vel ipso

Ioue sunt progenitæ. Miti valde à necessitate.

Ducat animę profunditas immortalis, oculosque affatim.

Omnes sursum extende.

Nec deorsum pronus sis in nigricantem mundum.

Cui profunditas semper infida substrata est, & Ades;

Circumquaque caligans, squalidus, idolis gaudens, amens.

Præcipitosus, tortuosus, cæcum profundum semper inuoluens.

Semper desponsus obscuram faciem, inertem spiritu carentem.

Et olor luminis mundus, & tortuosi fluxus.

A quibus vulgus attrahitur.

Quare tu animæ canalem, vnde, aut quo ordine.

Corpori inseruieris, in ordinem à quo effluxisti, Rursus

Rurſus reſtituas ſacro ſermoni operam vniens.

Neque deorſum ſis pronus, præcipitium in terra ſubeſt.

Septemuios trahere per gradus; ſub quo

Horribile neceſſitas Thronus eſt.

Ne tu augeas fatum.

Anima hominum Deum coget quodammodo in ſeipſam.

Nihil mortale habens, tota à Deo eſt ebria facta.

Harmoniam reſonat namque, ſub qua eſt corpus mortale.

Extendens, igneam mentem, ad opus pietatis.

Et fluxile corpus ſeruabit.

Eſt & idolo portio in loco circũlucente.

Vndique infecta anima ignis habenas tende.

Igne calens cogitatio primiſſimũ habet ordinem.

Igni namq; mortalis propinquãs à Deo lumem habebit.

Immoranti enim mortali præſto Dij aderunt.

Pœnæ hóminum ſunt angores.

Et malæ materiæ, germina, vtilia ſunt & bona

Spes nutriat te, ignea Angelica in regione.

Sed non recipit illius velle, paterna mens.

Donec non exeat ex obliuione, & verbum loquatur.

Memoriam indens paterni Synthematis puri.

His quidem diſcibile lucis dedit notitiam ſuſcipere.

Hos vero, & ſomnolentos ſui fructum dedit roboris.

Ne ſpiritum macules, neque profundum tac ſuperficiem.

Neque materiæ quiſquiliis præcipitio relinquas.

Ne edu-

Digitized by Google

Ne educas, ne exiēs habeat quidpiam.

Vi corpus relinquentium, animæ ſunt puriſſimæ.

Animæ expulſores, reſpiratores, & faciles ſolutu ſunt.

Siniſtris in lumbis, Hecates, virtutis eſt fons.

Intus tota manens, virgineum nō abiiciens.

O audaciſſimæ naturæ, homo, artificium.

Neque ingentes menſuras terræ, in tuam mentem pone.

Non.n. veritatis planta eſt in terra.

Neque in menſuris, menſuras Solis regulas congregans.

Æterno conſilio fertur, non gratia tui.

Lunarem quidem curſum & aſtreum progreſſum.

Lunæ ſtrepitum dimitte, ſemper currit opera neceſſitatis.

Digitized by Google

Astreus, progressus tui gratia, non est partus.

Æthereus, auium pes latus, nunquam vetus est.

Non sacrificia, viscera que cupio. Hæc sunt omnia ludi.

Mercatoriæ deceptionis firmamēta; fuge tu hæc.

Si vis pietatis sactum paradisum aperire.

Vbi virtus, sapientiaque & bona lex congregantur.

Tuum enim vas, bestiæ terræ habitabunt.

Ipsas autem terra sepeliit, ad filios vsque.

Damones, Sacrificia.

Natura suadet esse dęmonas puros.

Et mala materiæ germina vtilia, & bona.

Sed hæc in abditis septis mentis evolue.

Ignis

Ignis ſimulacrum ſaltatim in aere in tumorem extendens.

Vel etiam ignem inſiguratum, vnde vocem currentem.

Vel lumen abundans radians, ſtreperum, conuolutum.

Sed & equum videre, luce magis fulgurantem.

Vel etiã puerum ſuis humeris inequitantem equo.

Ignitum, vel auro diſtinctum, vel ſpoliatum.

Vel etiam ſagittantem, & ſtantem ſuper humeris.

Multories ſi dixeris mihi, cernes omnia leonem.

Neq; enim cœleſtis curuitas, tunc apparet moles. (eſt.

Aſtra non lucent lunæ lux operta

Terra nõ ſtat, cernuntur vero cuncta fulminibus.

Neque naturæ, voces per ſe viſile ſimulacrum.

Non

Non enim oportet illos te spectare, antequam corpus sacris purgetur.

Quando animas mulcentes, semper à sacris abducunt.

Ergo ex finibus terræ exiliunt terrestres canes.

Nunquam verum corpus mortali homini monstrantes.

Operare circa Hecaticum turbinem.

Nomina barbara, nunquam mutaueris.

Sunt enim nomina apud singulos à Deo data,

Potentiam in sacris ineffabilē habentia.

Quando videris forma sine, sacrum ignem.

Collucentem saltatim totius per profundum mundi.

Audi ignis vocem.

ORA-

ORACVLA,

Siue

MYSTERIA

MYSTICÆ HEBRÆORVM, CHALDÆORVM, Ægyptiorum, Perſarum, Arabum, Græcorum & Latinorum Philoſophiæ.

Myſteria Hebræorum.

CANON I.

QVi intelligit coronam ſapiẽtiam, prouidentiam, clementiam, potentiam, gloriam, triumphum, laudem, intellectum, Ecclebam, vel vt Capnio enumerat, coronam, ſapientiam, prudẽtiam, vel intelligẽtiam, clementiam, ſeu bonitatem, grauitatem, vel ſeueritatem

ritatem, ornatum triumphum, confessionem laudis, fundamentum & regnum, intelliget trium regionum duo interualla, decem gradus scalæ, per quos ad cognitionem omnium, quæ sunt vere, aut sensu, aut scientia, aut fide, ab imo, ad summum ascēdere possumus. Intelliget quoque quid Abraham velit in libr. Ietzira, vbi sic inquit, decem numerationes præter quid, decem & non nouem, decem & non vndecim, intellige in sapientia, & sæpe in intellectu, inuestiga in eis, & proba ex eis, & statue rem super puritates suas, & repone creatorem in thronum suum.

Canon II.

Qui intelligit, quomodo diuina idea sit terra viuentium, in virtute Dei viui, & quomodo eam influant per nomen Adonai, quomodo authore Iosue, Deus viuus intra nos

tra nos eſt, quomodo denique diſperdet in conſpectu noſtro contrarias fortitudines, intelliget diuinum Geneſeos iuſſum, Producat terra animam viuentem, ad ſpeciem ſuam, intelliget quomodo omnia vitam habentia ſuo inſtinctu ſurſum tendant, & vitam influentia vergant deorſum, & è contra.

Canon III.

Qui intelligit in ſcala, ſeu aſcenſu naturæ illas tres regiones triplicitatis, & in ſingulis vnum abſtractionis ſtatum, & quomodo quodlibet horum duplicem habeat differentiam, intelliget quid Abraham ſuperior, id eſt, ratio, ſiue intellectio, Iſaac inferior, id eſt, ſenſus exterior, & Iacob medius, id eſt, inferior ſenſus ſignificet, quidque ſcala Iacobo viſa reuera ſit, vide-

videlicet idē quod per Schemhamphoras significatur.

Canon IV.

Qui intelligit, quomodo est Deus in mundo, & quid velit commentator Arboris decem Sephiroth, in influentia mentis, quæ influit ex re, intelligimus & rectificamur: intelliget, quomodo mens in homine, inter decem Sephiroth regni gerat diadema, quomodo sola diuina sit, & sola extrinsecus homini accidat, quomodo ab eius lumine virtutes inferiores diriguntur, & gubernantur, quousque intellectus, intelligens & intellectum sint vnum & idem. Intelliget quoque quid magistri Hebræorum super verbis Prophetæ, in lumine tuo videbimus lumen, diiudicatum reliquerint.

Canon V.

Qui intelligit, magistros Hebræorum sic

rum ſic loquentes, omne id quod in cœlis eſt, nō ſcit homo aliquid ex eo, niſi ad ipſum modum Matheſeon, id eſt, per firmas demonſtrationes, aut Geometriæ, aut Aſtronomiæ, aut Muſicæ, aut Arithmeticæ, intelliget, quod dictum Abrahæ fuit, ſuſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes, nec potuit ipſe.

Canon VI.

Qui intelligit reſponſum Iohanan factum, per Rabi Eleazar, dicentem, veni, docebo te opus de ſublimioribus contemplationibus, reſpondit, non incanui, intelliget Iob, in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia: intelliget Salomonem, qui ait, abominatio Dei eſt ipſe peruerſus, hic eſt ille, qui ab altitudine auerſus, vergit ad decliuia, quantumuis eum natura erexerit in alta. Intelliget pariter, quos vere ſenes, æta-

nes, ætate an moribus & eruditione potius tenere debeamus.

Canon VII.

Qui intelligit, quod Onckelos Chaldæus interpretatur, (Ecce Adam fuit vnigenitus meus, siue vnicus meus in æternitate ex me ipso) sciet quare lignũ scientiæ boni & mali fuerit prohibitum, sciet, quomodo Angeli intellexerint, ligni vitæ esus futuram concessionem: Sciet quoque, quare Domino vniuersorum, sedenti super thronum suum, gratias egerunt, sciet, inquam, quare Adam per nuncium Razielem edoctus fuerit de instauratione sui casus, per propagationem iusti & pacifici viri Heros, cuius nomen contineret literas quatuor, Iod, He, Vau, He, quod est secretum secretorum.

Canon VIII.

Qui intelligit quomodo primus ille

ille mundus intelligibilis, ſecundum implicat, ac ſeſe mutuo concordiæ vinculis cõſtringunt, intelliget, quomodo Ezechielis rota, in rota, cum ſuis quibuſcunq; inuolucris, viſa eſt vna eſſe ſimilitudo gloriæ Domini, intelliget quoq; quomodo (ſecundũ Rabi Saadię in libro Amunoth,) vitellus in medio oui, inſtar albuminis oui vnius, teſtaceo firmamento cõtenti, vitellum ipſum înglomerat, ſicut typo ipſo ab initio expreſſum eſt.

Canon IX.

Qui intelligit, quomodo in ſenſibili mundo ſphæræ nouẽ mouentur, ab empyreo immobili, cui Metattron aſſiduo præeſt, intelliget proportione ipſa, quomodo in primo nouẽ Angelorum chori mouẽtur, ab immobili Deo, quomodo in immobili ſilentio cunctorũ Creator primo ſimul omnia creauit, poſtea nouenario

nario ſermone ad proprias ſingula quæque diſtinctionescommouit,inquiens, Fiat lux, fiat firmamentum, congregentur aquæ, germinet terra, fiant luminaria, producant aquæ reptile, creſcite, & multiplicamini, producat terra animam viuentem, faciamus hominem in imagine,ad ſimilitudinem noſtram.

Canon X.

Qui ſcit, communicationem hominis microcoſmi & mundi ſenſibilis, mundi item corporei & mundi intellectualis, mundi ſupremi cum mundo tertio, ſciet proportione ſecretum mentis Metattron,& animæ Meſſiæ, ſciet apudHebræos ideatam ideam omniũ vitarum, ad quam refertur omnis vtilitas, indiuidualis, ſpecifica & generifica,hoc eſtChriſtũ eſſe Mediatorem,quo ſolo homines cumDeo reconciliati coniunguntur.

Canon XI.

Qui intelligit, quantus sit Deus ante creationem, in creatione & post creationem, intelliget illud Deuteron. Magnus, potens & terribilis, seu potius reuerendus, & qui sciuerit, hunc esse vnum, & magis proprie principium veritatis: intelliget quid velit Rabi Azariel in commentario sanctitatis, vbi inquit; Ex spiritu producitur verbum atque vox: intelliget quoq; illud in libro letzira, quod de creatione legitur, Et hi tres vnus est spiritus, intelliget quoque, quod Abraham voluit, inquiens, vox & spiritus, & verbum, & hoc est Spiritus sanctus, duo spiritus ex spiritu. Hinc similiter petat vnitatem illam Ioannis, Tres sunt qui dant testimonium in cœlis, & vnum sunt, tres in terris similiter vnum sunt, illi in vnitate naturæ, hi in vnitate personæ.

Canon XII.

Qui sciuerit duo contradictoria in suo principio concubinare, via rationis: sciet id quod legitur in lib. de fide & expiatione, quod producens, scilicet Deus, ens de non ente, nullius eget, & quod ens est in nõ ente, quoad rem non entis, videlicet negatiue, qua ratione affirmatio pellitur, & nõ ens est in ente, quoad rem entis, id est, affirmatiue, quomodo negatio affirmationi cedit. Itaque & ens, & non ens in ipso rei principio conueniunt, & à Deo tam entia, quam non entia dependent.

Canon XIII.

Qui scit, quomodo iuxta mundum inferiorem & superiorem procedunt affirmationes quoad attributa & negationes, quoad essentiam: sciet, quare 5. Deut. obseruare diem Sabbathi, & 20. Exod. memorare præci-

Digitized by Google

præcipiatur. Et qui scit Sabbathum quietis, id est, creationis, aliud à Sabbatho Sabbathorũ, s. æternitatis, sciet illud Ezechielis, Sabbatha mea dedi illis, intelliget quidnã in Porta lucis, hebdomada superna, Iobeleus nuncupata, quoad annos Mosaicos significet, & quomodo supra Iobeleum mittentur radices: Iere. 17. hoc est per Sopher: & quomodo ascendat per Angelos ad locum destinationis suę, quod est flumen Dei repletum aquis, id est, gentibus, quæ per Sopher, id est, triginta tres annos Mosaicos, qui faciunt mille sexingentos & septuaginta atq; triginta circiter, vel paulo plus, Christi misericordia in hac militanti Ecclesia pascuntur.

Canon XIV.

Qui scit extrinsecꝰ, id est, ipsius fori, timorẽ esse inferiorẽ amore & extrinsecus, i. e. Dei, esse superiorẽ: is intelligit, cur in Genesi à timore laudatur

Abraham, quem tamen ſcimus per proprietatem pietatis omnia feciſſe examore, & qui nouerit proprietatem meridionalem in dextrali coordinatione, ſciet, cur omnis perfectio Abraham ſemper ſit verſus Auſtrum, quia videli. et Chriſtus à dextris Dei ſedet, & omnes beati ad dextram ſtatuentur.

Canon XV.

Qui intelligit, quomodo anima bona ſit anima noua, veniens ab oriẽte, ſcilicet Chriſto Domino, ſciet, quare Ioſeph oſſibus tantum ſepultus eſt, & non corpore, propter primi Adam mortificationem, videlicet: ſcit, quare eius oſſa erant virtutes, & militiæ atboris ſuperioris vocati Sadich, influentis ad terram ſuperiorem, quo ſcilicet nouum hominem induere poſſint: ſcit quoque quare Moſis ſepulchrum nemo nouit, ne

ſcilicet

scilicet caro infirma relaberetur ad rebellionem primi Adæ, scit insuper quare exaltatus est Moyses in lobeleo superiore, & quare miserit super lobeleum radices suas, id est, super Christum, quem digito ostendit.

Canon XVI.

Qui intelligit proprietates pietatis, & truncationē vltimæ plantæ, intelliget secretum orationis anteluca-næ, à pietate dependere, & peccatum Sodomæ, à truncatione vltimæ plantæ, Et qui intellexerit, quare Moyses abscondit faciem suam, & Ezechias vertit facies suas ad parietem, sciet, quæ esse debeat orantis habitudo, & dispositio, scilicet non in aperto more Pharisæorum, sed in occulto ardenti pietate incensa.

Canon XVII.

Qui intelligit aquam australem, vnde pax & tranquillitas, ignem Se-

ptentrionalem, vbi fletus & ſtridor dentium, & præfectos illorum, de quibus non eſt vltra dicendum: intelliget quid voluerit Iob, cum dixit, Qui facit pacē in excelſis ſuis. Et qui intelligit, quid ſit iuſtus & diuinitus, intelliget congregationem aquarum apud Picum, & mare ad quod tendunt omnia flumina.

Canon XVIII.

Qui intelligit angelos mundanos, qui hominibus apparent, nō eos, qui non apparent, niſi in ſpiritu, intelligit volatile, quod creatū die quinta, id eſt, Angelos mundanos, intelliget, cur nullus Angelus, vt Picus habet) habens ſex alas, de quibus Apocal. 4. vnquam mutatur. Verbum enim Domini manet in æternum. Et qui intelligit datam eſſe circumciſionem ad liberationem à virtutib. immundis, quæ in circuitu ambulant, intelliget

liget illud Pici, inquientis, ideo circumcisio fit octaua die, quia est superior, quam sponsa vniuersali rata. Hæc enim septimum non excedit.

Canon XIX.

Qui intellexerit copulationē media nocte cum Tipheret, id est, cum magno Adam, quod nomē est inclitum, & præconij plenū, quod tanquā cor in viuēte, ita inter decem Sephiroth, circiter mediū collocatur. Quo circa in lib. Paralip. scriptum est. Nos igitur Deus noster, cōfitemur tibi, & laudamus nomen Tipheret, inclitum tuum. Idem Ps. 88. Esai. 63. Significat autem Tiphereth ornatum, vel gloriam, ideoq; prosperam omnē generationem: intelliget proprietatē, quę est secretum tenebrarum, & cur mali dęmones plus nocte, quam die nocent, quia Adam per pręuaricationē,

præcipitauit ſe in tenebras, & cur animæ à tertio lumine, id eſt, memoria, ad quartam diem, id eſt, intellectum, & inde ad quintam deſcendunt, videlicet voluntatem, inde exeuntes corporis noctem ſubintrant, hoc eſt, corpori includuntur, vel ab intelligentia ad phantaſiam, hinc ad imaginationem, & tandem ad ſenſum deſcendunt, ſciet, quare cum fiet lux ſpeculi non lucentis, ſicut ſpeculi lucentis, erit nox ſicut dies, vt dicit Dauid, quia corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale immortalitatem.

Canon XX.

Qui intelligit, quid ſit viridis linea, quæ gyrat vniuerſum, intelliget, quid Salomon intendat in oratione ſua, lib. Reg. Exaudi ô cœlum, intelliget, cur nomen ineffabile cõtineat proprietatem, & clementię & iudicij, quia

Digitized by Google

quia ſcilicet ſemper viret erga bonos miſericordia, erga malos iudicium; intelliget quoque ex Eden exire fluuium, qui diuiditur in quatuor capita, ad ſignificandum, quod ex ſecunda numeratione procedit tertia, quæ in quartam, quintam, ſextam & decimam diuiditur, moreque collectiuo decadem continet.

Canon XXI.

Qui intellexerit creationem naturæ intellectualis, & naturæ animalis, quæ naturali ordine præceſſit creationem cœli & terræ, proportione ſcilicet prouidentiæ, imaginis, & ſimilitudinis: intelliget, quid per dictionem quæ bis à Moyſe ponitur in illo textu, in principio creauit Deus cœlum & terram, id eſt, mundum intelligibilem, & ſenſibilem, vtpote terram inanem & vacuam, ſignificetur.

Canon XXII.

Qui intelligit dicta Hebræorum de rubedine Esau, & dictum illud, quod est in libr. Bressit Rhaba, quod Esau fuerit rubeus, & rubeus eum vlciscetur, de quo dicitur, Quare rubeum vestimentum tuum, intelligit haberi expresse, quod Christus ille erit, qui vltionem faciet per effusionẽ sanguinis sui, quod aspersum sanguine indumentum dicitur, de virtutib. immundis. Et qui intelligit illud dictum Hieremiæ, lacerauit verbũ suũ, quare Deum sanctum & benedictum lacerauit Deus pro peccatoribus.

Canon XXIII.

De Deo absolute considerato, vt infinito, vt vno, & secundũ se intellecto, qui intelligit nihil nos intelligere, nisi separate à rebus, posse: intelligit, cur dicatur apud Hebræos, quod Deus induit se decẽ vestimẽtis, id est, decem

Digitized by Google

decē attributis, primi canonis, quado creauit sæculum. Et qui intellexerit in dextrali coordinatione, de qua paulo ante dictum est, subordinationem pietatis ad sapientiam, perfecte intelliget per viam Hebræorū, quomodo Abraham in die suo, per lineā rectā vidit diem Christi, & gauisus est. Et qui scit proprietatē Aquilonis, in Hebręorū doctrina, sciet, cur Sathan Christo promisit regna mundi, si cadens eum adorasset, quia malorum à siniſtro latere est locus. Et qui sciuerit plenam lunam in Salomone, sc. sapiētiæ, qua cunctos mortales superauit, sciet plenū Solem in vero Messia.

Canon XIV.

Qui intelligit, quid sit apud Hebræos Li fiat lux, & Li facta est lux, intelliget, quid sit speculum lucens, & non lucens, intelliget quoque quid sit lumen repositum in septuplo plus

lucere, quam lumen relictum: & quam mirabiliter hæc Arithmeticæ Pythagoricæ conueniant, hoc est, homo per gratiã infinito modo plura intelligit, quam naturalem relictum igniculum.

Canon XXIV.

Qui sciuerit quaternarium deducere collectiuo scilicet more in denarium, habebit modum, si sit peritus in Hebræorum doctrina, deducendi ex nomine ineffabili, nomen 72. literarum, potest insuper intelligens intelligere, quod operari per Schemhamphoras, id est, expositorium illud magnum nomen, est proprium rationalis naturæ. Et qui sciuerit, quid sit denarius in Arithmetica formali, id est, dupla proportio sphærici numeri in se multiplicata, & cognouerit naturam primi numeri sphærici, id est, quinarium in circulo denariæ

denariæ reuolutionis, ſciet fundamentum ſecreti magni Iobolei, ſciet pariter cum Pico, ſecretum quinquaginta portarum intelligentiæ, & millelimæ generationis, & regni omnium ſeculorum.

Canon XXVI.

Qui intelligit apud Hebræos Celem & Demut, & horum Toar, intelliget, quare Deus dixit, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, intelliget illud Pſalmiſtæ, Similis factus ſum pelicano in ſolitudine: intelliget ſimiliter vbi dicitur, Furor illius ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, intelliget cum dicitur, ſimilitudo throni, intelliget ſimilitudinem animalium, quam vidit Ezechiel, & in eo, quod ſeparatus eſt, hoc in modo, ſecundum Rabi Moſſes, multum mirabili, cui non eſt ſimilis in omnibus creatis ſub ſphæra Lunæ. Hic enim

eſt ille fluuius Cobar, propter quem Ezechiel manu Dei tactus, vidit ſimilitudinem quatuor animalium, & quatuor in quatuor. In eodem quoq; fluuio quatuor Cherubin in quatuor rotis, & rotam in medio rotæ. Ipſum eſt animal, quod viderat iuxta flumẽ Cobar. Hoc ipſum eſt mare magnũ, in quo iuxta viſionem Danielis pugnabant quatuor venti cœli, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari. Atq; hoc eſt illud myſteriũ, Iehoua, intelliget, qualiter hæc apprehenſio intelligibilis ſit, quæ nõ indiget aliquo membro, vel ſenſu, & quo modo aſſimilauit ipſum creatori, qui non eſt corpus. Ideo qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, filij Dei nuncupatur.

Canon XXVII.

Qui ſcit apprehenſionem ſcientię ad ſci-

ad ſcitum, & intellectus ad rem intellectã, & qui ſcit appropinquationis & tactionis apud Hebræos virtutem: intelliget illud, Prope eſt Dominus omnib. inuocantibus eum, & appropinquate Domino: item, Appropinquabit Moyſes Domino, & populus nõ appropinquabit: intelliget illud, Tange montes & fumigabunt, intelliget illud Rabi Moſſei, vbi inquit, Et ſcire debes, quod ſi poſſibile eſſet, vt aliquis homo eſſet in ſummo noni cœli, nõ eſſet propinquior Deo, quã ille, qui eſſet in centro terræ, neq; remotior, quia Deus eſt idem vbiq;.

Canon XXVIII.

Qui ſcit, quæ ſint admiranda ſapiẽtiæ, tradita per Zadkiel Abrahæ patri noſtro, in traditione fœderis, ſciet, numerum ſemitarum & familiaritatem literas conciliare: ſciet, quod ſcriptum eſt in Ietzira, decẽ numerationes

tiones Belima, & 22. literæ iunctæ faciunt consurgere numerum semitarum, quæ sunt intelligentia miraculosa, sanctificatis, absoluta, munda, fulgida, resplendens, inductiua, radicata, triumphalis, vel æterna, dispositiua, claritatis, notatà, recondita, illuminans, subtiliata, fidelis, probatoria, confirmans, voluntatis, cõstituens, innouans, domus largitatis, actiuitatum, medians, collectiua, adminicularis, perpetua, corporalis, complacentiæ quæsiti, concitatiua sensuum, imaginaria, & intelligentia naturalis, intelliget quoque, quare & RABI COHEN dicit, Antiqui Patres ambulauerunt per vias multas, vt tandem starent in semitis istis: intelliget etiam, quomodo ex literarum collegio, cum quinquaginta portis iuncto, septuaginta duorum angelorum felix series competiatur, & binarij multiplicatione cubica

bica idem oriatur, & portæ illæ prudentiæ, siueintelligentiæ enumeratę. Et qui scit per diminutionem redire, sciet naturā angelicam, & quomodo Deo iungamur, tetragrammato ineffabili Iehoua: & quomodo hinc summa 72. expositoria nominis Dei inenarrabilis surgat, quibus Schemhamphoras constare perhibetur.

Canon XXIX.

Qui scit ineffabile nomen Tetragrammaton, per septuaginta duo nomina, Vehuiah, Ieliel, Sitael, Elemiah, Mahasiah, Ielahel, Achaiah, Cahetel, Haziel, Aladiah, Lauiah, Hahaiah, Iezalel, Mebahel, Hariel, Hakamiah, Louiah, Caliel, Leuuiah, Pahaliah, Nelchael, Ieiaiel, Melahel, Haiuiah, Nitthaiah, Haaiah, Ierathel, Sœehia, Reiaiel, Omael, Lecabel, Vasariah, Iehuiah, Lehabia, Chauakiah, Manadel, Aniel, Haamiah, Rehael,

Rehael, Ieiazel, Hahahel, Michael, Veualiah, Ielehiah, Sealiah, Ariel, Aſaliah, Mihael, Vehuel, Daniel, Hahaſiah, Imamiah, Nanael, Nithael, Mebahiah, Poiel, Nemaniah, Ieiabel, Harahel, Mizrael, Vmabel, Iahhael, Anauel, Mehiel, Damabiah, Mauakel, Eiael, Habuiah, Roehel, Iabamiah, Haiaiel, Mumiah, quæ ex ſacra Scriptura colliguntur, videlicet 1. nomen ex Pſal. 3. verſ. 4. 2. ex Pſal. 21. verſ. 21. 3. ex Pſal. 90. verſ. 2. 4. ex Pſalm. 6. verſ. 5. 5. ex Pſalm. 33. verſ. 5. 6. ex Pſ. 9. verſ. 12. 7. ex Pſal. 102. verſ. 8. 8. ex Pſal. 94. verſ. 6. 9. ex Pſalm. 24. verſ. 6. 10. ex Pſal. 32. verſ. 22. 11. ex Pſal. 17. v. 47. 12. ex Pſal. 9. v. 22. 13. ex Pſal. 97. v. 4. 14. ex Pſ. 9. v. 10. 15. ex Pſal. 93. v. 22. 16. ex Pſ. 87. v. 2. 17. ex Pſalm. 8. v. 2. 18. ex Pſ. 34. v. 24. 19. ex Pſal. 39. v. 1. 20. ex Pſ. 114. v. 4. 21. ex Pſ. 30. v. 15. 22. ex Pſ. 120. v. 5. 23. ex Pſal. 120. v. 8.

24. ex

Digitized by Google

24. ex Pſal.146.verſ.11. 25. ex Pſ.9.v.2. 26. ex Pſ.118.v.145. 27. ex.Pſ.139. v.2. 28. ex Pſ.70.v.12. 29. ex Pſ.53.verſ.6. 30. ex Pſ.70.v.5. 31. ex Pſal.70.v.16. 32. ex Pſ 32.v.4. 33. ex Pſ.93.v.11. 34. ex Pſ.130.v.3. 35. ex Pſ.114.v.1. 36. ex Pſ. 25.v.8. 37. ex Pſ.79.v.8. 38. ex Pſ.90. v.9. 39. ex Pſ.29.v.11. 40. ex Pſ.87.v.15. 41. ex Pſ.119. v. 2. 42. ex Pſ. 120. v.7. 43. ex Pſ.87.v.14. 44. ex Pſ.118.v.108. 45. ex Pſ.93 v.18. 46. ex Pſal.144.v.9. 47. ex Pſ.91.v.6. 48. ex Pſ.97. v.2. 49. ex Pſ.144.v.3. 50. ex Pſ.144.v.8. 51. ex Pſ.103.v.31. 52. ex Pſ.7. v.18. 53. ex Pſ. 118.v.75. 54. ex Pſ.102. v.19. 55. ex Pſ. 101.v.13. 56. ex Pſ.144.v.14. 57. ex Pſ. 113.v.11. 58. ex Pſ. 6. v. 4. 59. ex Pſ.112. v.3 60. ex Pſ.144.v.17. 61. ex Pſ.112.v.2. 62. ex Pſ.118. v.159. 63. ex Pſ. 99. v.2. 64. ex Pſ.32.v.18. 65. ex Pſ.89.v.13. 66. ex Pſ.37.v.22. 67. ex Pſ.36.v.4. 68. ex Pſ.106.v.1. 69. ex Pſ.15.v.5. 70. Gen.1. v.1. 71. ex Pſ.108. v. 30. 72. ex Pſ. 114. verſ. 7.

Qui

Qui igitur ſcit ineffabile nomen tetragrammaton, per hæc ſeptuaginta duo nomina, quæ dicto modo ex ſacra Scriptura colliguntur, explanare: ſciet cur Rabi Ioſeph ben Carnicol, in libro portarum iuſtitiæ inquit, diuiſit Deus terram iuxta numerum Angelorum eius, duo diuina nomina repræſentantia, Iah & El. Et quare ſi quotocuique ſeptuaginta duorum nominum, alterum horum cõiunxeris, in ſigno vocabulum oxytonum efficiamus, intelliget quoque cur omnes gentes traditæ ſint in poteſtatem ſeptuaginta præfectorũ: cognoſcet, qui ſint angeli fortes vniuerſæ terræ, & quomodo Moyſes in liberatione filiorum Iſrael manu ſua mare vſque ad ſiccum diuiſit. Et qui ſcit, quomodo ſpiritus diuini linguis Angelorum loquuntur, ſciet, quomodo ſpiritus humani auribus mentium auſcultant.

MYSTE-

MYSTERIA CHALDÆORVM ET ÆGYPTIORVM.

Canon I.

QVi intelligit, quomodo ſuper principalem ordinē ſeparatorum, eſt ordo fontalis vnialter ſuperexaltatus, intelliget illud Mercurij Triſmegiſti, Vbicunque vitæ, ibi anima, vbicunq; anima, ibi mens, & quomodo anima in corpore, mens in anima, in mente verbum, tum horum pater Deus, & quomodo Deus circa omnia atque per omnia, mens circa animam, anima circa aerem, aer circa materiam.

Canon II.

Qui intelligit ſeriem naturarum vniuerſi à nō gradu materiæ ad eum, qui eſt

Digitized by Google

qui eſt ſuper omnem gradum, graduate protenſum, & virtutem naturalis Magiæ, intelliget quod dicunt interpretes Chaldæi ſuper primum dictum Zoroaſtris de ſcala, à tartaro ad primum ignem, & quid intelligere velint per virtutes myſteriales, intelliget, cur fatum non ſit neceſſitas primæ potentiæ ſeminalis, ſed intellectualiter participata habitudo animalium rationum, indeclinans à ſuperioribus; inevitabilis ab inferioribus.

Canon III.

Qui intelligit, quomodo omne elementum quod poteſt diuidi per purum & impurum, habeat habitatores rationales & irrationales, quod vero purum eſt tantum, rationales tantum intelliget, quod dicunt interpretes ſuper dictū ſecundum Zoroaſtris, de duplici aere, aqua & terra.

Et qui

Et qui intelligit vitam vegetalem, conuenienter ad dicta Empedoclis, qui ponit transanimationem etiam in plantas, intelliget quid hi velint per radices terræ significare.

Canon IV.

Qui intelligit, quomodo à primo receptaculo fontis luminum substãtiales rerum visibilium qualitates per animalem splendorem dependenté resultant, & quomodo partiales animę mediantibus totalibus animabus dæmoniacis ab intellectuali splẽdore illuminantur, intelliget, quomodo Ægyptij substantiales rerum visibilium qualitates, à virtute separata particulari dependenter resultare, & animas partiales immediate illuminari, asserunt.

Canon V.

Qui intelligit & expressum habet

verita-

veritatem de peccato originali: intelliget ex dicto illo Zoroastris, Ha ha hos, quomodo terra deflet vsque ad filios, iuxta expositionem Osiæ Chaldæi. Et qui intelligit dicta sapientum Hebræorum de duplici vino, intelliget dicta interpretũ Chaldæorum super xj. Aphorismo, de duplici ebriatione Bacchi & Sileni: Silenus autem Bacchi pædagogus fuit.

Canon VI.

Qui intelligit, coordinationem intelligibilem esse super omnem intellectualem hierarchiam in abysso primæ vnitatis, & sub caligine primarum tenebrarũ imparticipaliter absconditam; intelliget coordinationem, intelligibilẽ esse in intellectuali coordinatione, vt dixit Amosis Aegyptius. Et qui intelligit substantiam orbium mundanorum: intelliget, supra Lunam purum lumen.

Canon

Canon VII.

Qui intelligit triplex animę habitaculum, cœleste, ſpiritale, & terrenum: intelliget, quid Magi in 17. Aphoriſmo per triplex indumentum ex lino, panno, & pellibus, intellexerint: intelliget de pelliceis tunicis, quas ſibi fecit Adam: & de pellibus, quæ erant in tabernaculo.

Canon VIII.

Qui intelligit illud Triſmegiſti, Omne motum corporeum, omne mouens incorporeum: intelliget, nihil eſſe in mundo expers vitæ, nihil eſſe in vniuerſo paſſibile mortis vel corruptionis, ſed vbique vitam, vbique prouidentiam, vbique immortalitatem.

Canon IX.

Qui intellexerit partem irrationalem animæ, & proportionalia: cognoſcet quid per canem Zoroaſtres

intellexerit. Et qui intellexerit illud Exodi: Quando sunt prohibiti Israelitæ exire domos suas, in transitu Angeli, interficientis primogenita Ægyptiorum: intelliget illud Zoroastris, Nec exeas cum transit lictor, Ne forte te tradat aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Matth. 5.

Canon X.

Qui intellexerit, quomodo non perturbatum, non determinatum, non coloratum, non figuratum, non concussum, nudum, perspicuum, à seipso comprehensibile, intransmutabile, bonum, ac penitus incorporeum, verũ est: intelliget, quomodo sex vijs futura homini Deus denunciat, per somnia, portenta, aues, intestina, spiritum, & Sibyllam,

Canon XI.

Qui vere intelligit, partem animæ ratio-

rationalem,& intellectum,intelliget quid per Sirenam,id est,libidinis vinculum,apud Zoroastrem,& per puerum apud interpretes intelligatur. Et qui intelligit per Arithmeticam superioris Merchianæ illos computandi dies, in quibus prædicitur aduentus Christi, id quod in Daniele Biblic. annot. explicuimus: intelliget illud Zoroastris, Adhuc tres dies sacrificabitis,& non vltra. Dixit enim Dominus,Ecce sanitatesperficio,hodie & cras, & tertia die consumor: quod tum finis sit sacrificij Leuitici. Et qui sciuerit, quæ sit in lib.Bair affinitas capris,& quæ agnis cum spiritibus: sciet,quid sit intelligendum per capras apud Zoroastrem,id est, spiritus malos.

Canon XII.

Qui intelligit, quomodo intra vnumquemq; sint decē vltores ignorantia,

rantia, triſtitia, inconſtantia, cupiditas, iniuſtitia, luxuries, inuidia, fraus, ira, malitia: intelliget malam coordinationem denariam, in via Hebræorum ſapientum, & præfectos illius. Quod eſt ſecretum, de quo plura non licet ponere: qua de re ſupra plura in Emanationibus.

CANON XIII.

Qui ſcit, cur Hebræi ſua ſabbatha, Ethnici ſuas ferias, nos ſanctorum noſtrorum ſolemnes dies, ſumma ſemper celebritate accepimus venerandos: ſciet, cur Magi non ſecus quam planetarios dies, cœleſteſq; diſpoſitiones, obſeruari iubent dies Aegyptiacos: cuiuſmodi apud Romanos, ante diem quartum nonas Iextilis, & omnibus diebus poſtriduanis ſolebant aduerti, quos atros nuncupabant. Qui hæc intelligit: intelliget, quales ſint dies apud Hebræos decimus ſe-

mus septimus Iunij, nonus Iulij, & quando Moyses contregit tabulas, Manasses erexit idolũ in sancta Sanctorum, muri Hierusalem ab hostibus diruti sunt, quo deinde tempore vtrũq; templi destructio perpetrata est. Qui hæc intellexit, intelliget ordinem cœlestis Hierusalem, scilicet proportione, siquidem hic non sit permanens ciuitas, futura sit nobis inquirenda.

Canon XIV.

Qui scit, cur Moyses & Helias vsque ad quadragesimum diem ieiunium protraxerunt: intelliget, cur Brachmanes nullos ad suum admittebant collegium, nisi abstinentes à vino, carnibus & vitiis, vt scilicet tãto commodius virtutibus incumberent: cur sacerdotes Athenienſium, qui græce Hierophantæ appellantur, consueuerunt sorbitione cicutæ sci-

ſos caſtrare. Et qui intelligit, cur Moyſes in vaſtas Æthiopiæ ſolitudines concеſſit: intelliget, cur & Zoroaſtres ſolitudinem 20. annor. cur Orpheus Thraciæ deſertum, cur Pythagoras decem annis latuiſſe ferrur, cur Democritus ſolitudine delectabatur, ac quamobrem & quomodo Epimenides Cretenſis annis 50. dormiuerit. Hæc omnia propterea fiebant, quo poſſent illi ab omnibus curis, & moleſtiis vacui in ſola diuini numinis contemplatione conquieſcere.

DE MYSTERIIS PERSARVM.

Canon I.

QVi nouit qualitates rerum, & eſt opifex in aſpectib. & figuris ſtellarum, atq; manifeſtas habet ſubſtãtias im-

tias immateriales: poterit aperire proprietates occultas cuiuslibet entis, & inuestigare cuiuslibet rei sublimis virtutes, atq; dispensare & administrare omnia: intelliget similiter, cur Picus prima cõclusione Magiam, scilicet diabolicam, & quomodo secundum Ecclesiæ sententiam exterminet: quomodo deinde secunda conclusione eam propugnet atq; defendat, videlicet naturalem.

Canon II.

Qui intelligit, quomodo dato quocunq; obiecto practicabili, nobilior est operatio, quæ ipsum practicat, quam quæ contemplatur: intelliget, cur Picus in suis conclusionibus Magiam nobilissimã partem, & eam quidem practicam scientiæ naturalis ponat: & cur dicat, nullam esse virtutem in cœlo aut in terra seminaliter & separatam, quam & actuare &

vnire Magus non possit, per reductionem multitudinis ad vnitatem.

Canon III.

Qui intelligit, ex collatione inter Brachmanes, Gymnosophistas, Babylonios, Romanos, Thraeas, Hyperboreos, Aegyptios & Persas, formalem proportionem: quorum cultores fuerunt, Hiarchas, Thespion, Budda, Numa Pompilius, Zamolxides, Abbaris, Hermes, Zoroastres Oromasij filius: intelliget, quare Persarum regum filij imbuebantur Magia: quare apud ipsos nemo regno potitur, qui prius eam non didicerit: quomodo Picus miracula Christi nō ratione rei factę, sed ratione modi faciendi, suæ Diuinitatis argumentum certissimū esse asseueret: quid deinde velit, cum ait, Nulla est scientia, quæ nos magis certificet de Diuinitate Christi, quam Magia & Cabala. Hæc enim

enim prestigias Magiæ diabolicæ nulla difficultate intelligit.

Canon IV.

Qui intelligit, quomodo Magia rerum omnium naturalium atq; cœlestium vires contemplatur, & eorundem sympathiam curiosa indagine scrutatur, reconditas ac latentes in natura potestates in apertum producit, inferiora superiorum dotibus copulat: intelliget illud Pici, cum dicit, Quod Magus homo facit per artem, facit naturaliter faciendo hominem, & vbi ait: Mirabilia artis Magicæ non fiunt, nisi per vnionem & actuationem eorum, quæ seminaliter & separate sunt in natura. Nihil enim est Magia aliud, quam simia naturæ.

Canon V.

Qui intelligit, quomodo, qui iam

cohibitis elementis, victa natura, superatis cœlis, progressus Angelos ad ipsum archetypum vsq; transcendit, eius tunc cooperator affectus potest omnia: intelliget illud Pici, formam nimirum totius Magicæ virtutis esse ab anima hominis stante, & non cadente: Impij enim hanc Magiã exercere nequeunt: intelliget quoque, quomodo Magiam operari, non sit aliud, quam maritare mũdum, multiplicando in eo, & replendo opera creationis.

Canon VI.

Qui intelligit, in quo consistit dignificatio hominis, scilicet in impolluta vita, casta religione, firma fide, inconcussa spe, & charitate ardenti: intelliget clauem omniũ magicarum operationum: intelliget illud Pici: Si qua est natura immediata nobis, quæ sit vel simpliciter, vel saltem vt multum

multum rationaliter rationalis: Magiam habet in ſummo,& eius participatione poteſt in hominibus eſſe perfectior. intelliget quoq; illud, vbi inquit: Nulla poteſt eſſe operatio magica alicuius efficaciæ,niſi annexũ habeat opus Cabalæ,explicitum, vel implicitum. Nulla enim nomina in Magico licitoque opere æque virtutem habent,ſicut Hebraica, vel inde proxime deriuata,eo quod omnium primum hæc Dei voce formantur.Illud autem in quo potiſſimum Magicam exercet natura, vox eſt Dei.

Canon VII.

Qui ſcit,qua ratione affectus carnales, caducumque ſenſum, materialesq;paſſiones deſerere poſſit,qua via & quomodo ad purum ipſum intellectum, Deorumq; virtutibus cõiunctum aſcendere: ſciet naturam,

quæ eſt horizon temporis æternalis, & quomodo proxima Mago infra ſe: ſciet quoque naturam, quæ eſt horizon temporis & æternitatis, propriam Magiam: & quomodo hinc ſit petenda per modos debitos, ſapientibus notos, quos ſuo loco infra exponemus: ſciet inſuper naturam, quę eſt horizon æternitatis temporalis, Mago proximam ſupra ſe, & propriam Cabalæ.

Canon VIII.

Qui ſcit, quomodo omnium rerum eſſe atque operari à ſummo Deo omnium creatore dependet: ſciet, vnde quælibet vox virtutem habeat in Magia, & efficaciam: quomodo illud, in quo primo magica exercetur natura, vox ſit Dei: & quomodo quælibet virtus in Magia, voce Dei formatur. Et qui dicta intelligit: intelliget, quare nō ſignificatiuæ voces

plus

Digitized by Google

plus possint in Magia, quam significatiuæ: & cur sola Hebræa nomina, vel inde proxime deriuata, in magico opere virtutem habeant, vt paulo ante dictum est.

Canon IX.

Qui scit ex numero naturali, quo ad corporis dimensiones, formali, quoad symbolismum, & rationali, quoad diuisionem, & additionem, magna sacramenta eruere, tam in naturalibus quam in diuinis, atque cœlestibus: sciet, quid in Magia sint numeri materiales & formales, & quare ij numeri numerorum nuncupētur: sciet quoque viam ad omnia scibilia indaganda, & intelligēda: sciet deinde, proximum accessum ad propheciam naturalem: & intelliget, quomodo Abbas Ioachim in suis propheriis processerit. De hoc numero paulo post fusius.

Canon X.

Qui intelligit, quomodo characteres habent communitatem ſuam ex radiis cœleſtium, ſecundum certum numerum in ſe inuicem peculiari quadam proprietate coniectis: intelliget, quod Picus dixit, Plus poſſe characteres & figuras (ſcilicet diuinas, & non ſuperſtitioſas atq; Aegyptiacæ vanitatis) in opere Magico, quam poſſit quæcunque qualitas materialis, ſcilicet lapidum, herbarũ, metallorum, &c. intelliget, quomodo per appropriationem characterũ operi Magico, approprietur numerus operi Cabaliſtico: & quomodo per Cabalam poſſit fieri aliquid, ad quod nulla attingit Magia, ratione virtutis verborum.

Canon XI.

Qui intelligit, quomodo antiquum

quum accedat æuo, æuum æternitati propinquum sit, & æternitas vicina Deo, qui supra æternitatem regnat: intelliget, quare antiquus Dierum à priscis Theologis nuncupatur, qui regno præsidet omnium seculorum: intelliget, cur barbara diuinitati cognatiora sunt, & quare Zoroastres primus Ethnicorum Theologus vetat barbara verba mutari.

DE MYSTERIIS ORPHICIS.

Canon I.

QVi intelligit, quid sit principium vniuersorum, & conthoralis omniparens, de qua Orpheus inquit, Absq; te nihil omnino vitæ naturam agnouit, atq; distributionem, quam cognominauit naturæ confirmatiuum: intelliget, quid idem Orpheus per tria

per tria principia, Iouem, Iunonem, & Legem voluerit innuere, videlicet infinitum, vnum, & numerum.

Canon II.

Qui sciuerit, quomodo deseruiant hymni Dauid ipsi Cabalæ: sciet, quomodo hymni Orphei operi veræ & licitæ Magiæ: sciet quoque, quomodo nomina deorum, quæ Orpheus canit, à Deo sint, & quare hominibus ac mundo distributa, & quomodo sint naturalium diuinarumq, virtutum: sciet insuper, miram efficaciam ex hymnis Orphei prouenire, cum vera modulatio sapientum fuerit adhibita, propulsata scilicet superstitione & idololatria.

Canon III.

Qui scit perfecte proprietates sensibiles per viam secretæ Analogiæ intelligę-

Digitized by Google

telligere: sciet, multa secreta latere in hymnis Orphei, & quarumcunq; virtutum naturalium vel diuinarum eandem esse proprietatem analogicam, idem nomen, opus, hymnum, seruata proportione: intelliget numerum hymnorum Orphei, & numerum cum quo Deus triplex creauit seculum, naturæ, legis, gratiæ, & quomodo sub quaternarij Pythagorici forma numeretur, quod cum ineffabili nomine Iehoua concurrit, quod Celtæ per oculum, baculum, scutum, & serpentem significarunt.

Canon IV.

Qui nouit vnitatis Veneteæ, Fatalis & Saturniæ, quæ diuinitati respõdet, diuisionem, profunde & intellectualiter: nouit proculdubio præter modum debite procedẽdi in Orphica theologia, etiam modum millesimæ generationis, & seculi seculorum,

lorum, de quo iam antea dictum est: nouit cognationem Orphei & Dionysij, & in quo Cureres Orphei cum potestatibus Dionysij conueniant, & quomodo per Cabalã huic operi appropriata timori Isaac adhiberi debeant, quem illi Pahad nominant.

Canon V.

Qui scit, circa primariam animalem Trinitatem, scilicet esse, viuere, & sentire, operari: sciet, Palæmonem, id est Portunum, qui portubus Deus præest, & Leucotheam, id est, auroram, Albam videlicet deam, adire, Nereum, id est, mare & Deorum antiquissimum, attrahere, Typhonem & Zamaelem, noctem & Ensoph concordare, idem enim est Typhon Orpheo, quod Zamael Symbolistis: & his idem Ensoph, quod illis nox. Est autem Ensoph regnum omnium seculorum, videlicet Deitas ipsa

ipſa ſine indumento: cur etiam Opifex mundi noctem conſulat de opificio mundano, quod nec Proclus, nec ſui imitatores, imo rari intellexerunt. concordabit id, quod ſuperius meminimus, Poros nempe conſilij filium, & magni conſilij Angelum: & intelliget, quomodo per octonarium numerum hymnorum maritimorum, corporalis naturæ proprietas deſignetur.

Canon VI.

Qui intelligit, quomodo anima aquea inferiora generat, ſuperiora contemplatur, in ſeipſa ſe ſiſtit: intelliget, quid Orpheus hymno Maris, Nrptuni & Oceani ſignificet: quid proueniat ex attractu Veſtæ, id eſt, terræ maris Saturni, & filiæ eiuſdē, virgini, per quam ignis intelligitur: & quomodo per ſeptennariū numerū paternæ menti attributū, Protogni, ſiue

siue Protogenis, à quo genus incipit: Palladis, hoc est, Deæ artium & sapientiæ: Saturni, qui cursum, & conuersionem spaciorum ac temporum continet: generis Rheæ, quæ vxor erat Saturni, cœli & terræ filia: legis Bacchi, qui bis genitus est: poterit ille de consummatione seculi coniectare, id quod paulo ante attigimus.

Canon VII.

Qui intelligit practicare omnem quantitatem formalem, continuam & discretam: scit natiuos & aduentitios heroas: sciet adire Apollinem, mediare opus per Bacchum trieteri-cum & consummare per nomen ineffabile: nec ebriabitur per aliquem Bacchum, qui suæ Musæ prius copulatus non fuerit, nisi trieterica sacra Bacchi, quæ tertio quoq; anno, sumptuosiora annuis eius agitabantur, partiatur, & in eleemosynas eroget.

Canon

Canon VIII.

Qui scit adire naturam, & Protcũ Panaq; attrahere: sciet adire Iouẽ tertium, vt viuentem, non vt viuificantem: sciet insuper perfecte in animã redire, primæq; formæ suam formam æquare: ac per quaternariũ hymnorum primæ formæ mundanæ attributorum, sui formabilis naturam nobis designare.

Canon IX.

Qui scit definitionẽ animæ apud Peripateticos: sciet, cur Orpheus Palladi & Veneri vigilantiam attribuerit: sciet, cur Ouidius Terram innocet, & Neptunum: & quare ad proportionem vniuersalis animationis, & particularis, sequatur vniuersalis prouidentia, & particularis.

Canon X.

Qui intelligit, quod Zacharias propheta appellat vinum germinans virgi-

virgines: intelliget diuinum illud Ambrosianum nectar, super cœlestẽ illum Bacchum, summum Deorum, & Sacerdotum antistitem, regenerationis authorem: quomodo bis natus, & quales producat riuos.

Canon XI.

Qui intelligit, quomodo Ecclesia primitiua pellebat morbos & tempestates, sub veneratione alicuius numinis, orando, aut sctipta sacra & diuina appensa seu alligata deferendo: intelliget carmen Orphei ad Astra compositum,

Vocibus ergo sacris iam Daemones inuoco pures:

intelliget, cur sæpe ab eo numine, cui aliqua veneratio impenditur, mirandas virtutes obtinemus: cur res materiales haud parũ sanctitatis ac virtutis ex consecratione, maxime sacerdotali, concipiant.

DE MY-

DE MYSTERIIS PYTHAGORICIS.

Canon I.

QVi scit occultas cogitandi, & credendi vires in discendo, maximeq; (vt ait Terentius) fide & taciturnitate: intelliget, cur Pythagoras, primus Philosophiæ creditor, omnibus disciplinis toto orbe hauſtis, primum discipulorum ſuorum initium posuit tacere: & primum contemplatiuæ ſapientiæ rudimentum, meditari condiſcere, & loquitari dediſcere.

Canon II.

Qui intellexerit illud Anaxagoræ, vbi inquit, Erant omnia ſimul: & Democriti, vbi ait, Erant omnia potentia ſimul in ipſo eſſe: intelliget illud Pytha-

Pythagoræ, posse ipsum insepara-
tum abesse, indiuisibilem essentiam,
& tetractyn: intelliget quoque, æter-
nitatem in quauis etiam artificiali re,
ratione suorum principiorum esse:
intelliget, quid per infinitum, vnum,
& numerũ ab eo statuatur: quomo-
do deinde Pythagoras, arcanorum
parens, verius omnibus Philoso-
phis, numerũ omnium rerum prin-
cipium astruat.

Canon III.

Qui intelligit principia Orphica,
Iouem, Iunonem & Legem: Sophro-
nisci quoque & Aristonis Deum, i-
deam, & materiam intelliget. Qui v-
triusque mentem tenet: intelliget,
quod Pythagoras occulte symboli-
zauit arcanis his notis, asserẽdo prin-
cipia vniuersorum esse, Infinitum, v-
num, & duo.

Canon

Digitized by Google

Canon IV.

Qui intelligit, quomodo omnia entia continuo ad ideas, & idearum ideam referantur: intelliget ternos vtrinque mundos, & tr bus omnia constare: intelliget, quæ sint, quæue habitant & obseruant corpora & magnitudines, & qui sint principatus originesq; habitantium & custodum: & quomodo Olympica tecta dicantur, complectentia superos, essentias incorporeas, diuina exemplaria, & orbis huius sigilla, quorum instar omnium rerum inferiorum facies sunt factæ, intelliget, hæc qui tenet, quid Pythagoras per immortales prima Deos, & immortales secunda Deos, voluerit significare: & quid per tetractyn, fontem & parentem naturam statuerit, intelliget quoque illud Alcinoi, quid cognitio, quid exemplar, quidque considerata essentia dicatur

Canon V.

Qui intelligit, quod Hermes Trismegistus Ægyptiorum Doctor in lib. ad Asclepium inquit: Vna pars simplex est, quam vocamus diuinæ similitudinis formam. ac paulo inferius, vbi duas imagines Dei, mundum & hominem statuit: intelliget, quod Pythagoras recte persensit, vbi in sigillo Dei imaginem nos circumferre docet, ac exemplaria & species rerum ita distinxisse, vt mutuo transmutari confundiue nequeant.

Canon VI.

Qui intelligit Pythagoram, vbi inquit, Ne vnitas quidem substantiua certi numeri secundum naturam, est vnitas alterius numeri: & vnitates in duitate ipsa, ad eas, quæ sunt in ternitate ipsa, esse inconiectiles: intelliget inuidos carptores, Timonem, Cratinum, Hermippum, & alios (quorum

non exigua multitudo est) qui de Pythagora suis in libris plurima mendacia scripserunt, nulla ratione ex scriptis Pythagoræ, humanam essentiam communicare bruto, posse probare.

Canon VII.

Qui intelligit Orphicos, dicentes, animam ante corpus esse non tempore, sed puritate, & naturæ dignitate: intelliget Pythagoram, vbi ait, animam solam, quorum sacra natura demonstrat singula, diuinum esse genus, cuius species nec mutetur, nec conuertatur: intelliget quoque, vbi inquit, Generum singulorum formas esse permanentes, & in eadem sua forma dissimiles.

Canon VIII.

Qui scit, quid viris reuera doctis sit æqualis cura, similis motus, & par

ſtudium alicuius mortui: intelliget, quid tranſanimatio proprie ſit. Et qui intelligit antiquũ illud ænigma, quo arcanum quoddam illi ſeculo incognitum innuebatur: ſcilicet materiam primam omnium formarum non ſolum capacem, ſed auaram etiã eſſe, ac ſemper deſiderio motam nulla forma ſatiari: intelliget (aſſentiente Capnione) quid Pythagoras voluerit innuere per tranſmutationem, ex eo quod ſe Euphorbum prius fuiſſe dixerit: intelliget quoque profundus rerum arcanarum ſcrutator, eos toto cœlo aberrare, qui hinc colligunt, Pythagoram docuiſſe animas tranſire in alia corpora.

Canon IX.

Qui ſcit multitudinis primæ, & primi numeri non compoſiti, primique compoſiti proprietatem: ſciet illud Pythagoræ, Multitudinis, nempe produ-

productiuum, tanquam numeri de numero, & illud essentiale quod est in eo, vnum omnis productionis fons & origo simul, & omnis processionis initium, & omnis substantiæ immutabilis permanentia, & quomodo sese in seipsum retorquet, quo modo item per modum vnitatis & duitatis semetipsum multiplicat, atq; tetractyn producit.

Canon X.

Qui scit, quæ sit omnium rerum creatarum idea, qua omnis progressio perficitur: sciet, quid sit apud Pythagoram decas, & vnde oriatur, & quæ sint decem genera generalissima. Et qui scit, quid sit tetractys originaliter, figillatim posita: sciet de omnipotente potentia exeundo ad energiæ actum producere decem, signiferũ ponere, latera statuere, semper denarium producentia tam in

ascensu quam in descensu: quæ vltimo redacta ad vnum, cadunt similiter in decem: ad viginti relata incipiunt denuo esse vnitas, & ad omnes numeros cardinales, vsq; ad centum, mille, & vltra.

Canon XI.

Qui intelligit, quid Zaratas Pythagoræ præceptor per nomina propagationis pronunciare consueuit: intelliget, quid Pythagoras ipse symbolo suo, nempe vno & duobus significet. Et qui intelligit, quomodo in corporeis nil diuinius mente, ac in separatis nihil simplicius numero: intelliget, quid Pythagoras velit, dum numerum pro mente accipit.

Canon XII.

Qui scit, quomodo in æthra sit fulgor æternitatis, vbi nec corpus, nec locus, neq; vacuũ, neq; tempus, neque

Digitized by Google

neque senectus, neque transmutatio est, & quomodo ibi sint entia inalterabilia & impassibilia: & qui proprietates eius, conditionem, chorum & ordinem intellexerit, intelliget illud Pythagoræ vbi inquit: Si recta ratione vixeris, male acta dolendo, & bene acta gaudendo: Deosq; oraueris, vt opus tuum perficiant: tum exuto corpore, profectus in ætherem, eris immortalis Deus. Et qui scit, quomodo mundus principia prima habuerit incorporea: sciet, cur Pythagoras eum æternitatis imitatorem, & continentiam esse omnium totorum, secundum ordinationem, quæ est in eo, asseueret.

Canon XIII.

Qui intelligit proportiones ex numeris ortas, & quomodo per lineas & puncta constituant characteres & figuras: intelliget Pythagoreorum

numerorum virtutem, & quo pacto Pythagoras numerum esse, quo cuncta constant, & qui distribuat singulis singulas virtutes, asserat: & quid Proclus velit, dum ait, numerum semper existere, alium in voce, alium in proportione, alium in anima & ratione, & alium in diuinis: quid etiam Themistius, Boetius & Auerroes Babylonius cum Platone significent, dum numeros sic extollunt, vt neminem absque illis recte philosophari putent.

Canon XIV.

Qui scit indagare numerorũ magnitudinem & multitudinem: sciet, quod Pythagorici dicunt, dum numerum parem in maxima, minimaq; posse diuidi, maxima quidem spacio, minima vero quantitate, asserunt: intelliget quid sit diuisibilis numerus in duo æqualia, vnitate non media: &

dia: & quomodo vtendum numero pariter pari, pariter impari, & impariter pari.

Canon XV.

Qui intelligit proportionalitates continuas, disiunctas, permutatas & conuersas: intelliget, quomodo Arithmetica, Geometrica, & Harmonica, harum medietates appellentur, & qui intelligit vnum, alteritatem, & id quod est: intelliget, numerum se extendere ad omnia genera, tam absoluta quam respectiua.

Canon XVI.

Qui scit venari numeros in linea, superficie & corpore: scit animæ cōpositionem formalem: scit totius mundi Sympathiam, habet viam ad prophetiam naturalem, & facile secretarum rerum omnium perfectam notitiam.

Digitized by Google

Canon XVII.

Qui intelligit, quomodo esse proprietatum præceditur ab esse quidditatiuo, & esse quidditatiuum ab esse vniali: intelliget, quomodo ex eo, quod attingitur res in præcisione suæ vnionis, attingatur res vt est ipsa: quomodo ex eo, quod attingit rem in definitione, attingat rem in alteritate: quare modus cognitionis eminentissimus in intellectu disproportionato, sit imperfectus & inutilis, & cognitio per demonstrationem (alioquin quo ad statum hominis perfectissima) simpliciter inter cognitiones est imperfectissima.

Canon XVIII.

Qui intelligit, quomodo Deus est simpliciter cognitio totius esse: intellectus, definitio eiusdem: & anima, scientia totius esse: intelliget quid

quid Picus velit, vbi inquit, si Theologia theologice tradatur, erit vt de primo subiecto, de eo quod est vniuersaliter vnum, & de quolibet quod est secundum suum esse vniuersale tanquam de subiecto secundario: intelliget, quomodo contradictoria in natura intellectuali se compatiantur, & coincidant in natura vniuersali: & quomodo est hoc & illud, sed non est hoc extra illud.

Canon XIX.

Qui intelligit, quare Anaxagoras intellectum appellauerit immixtum, cum secundum Picum maxime sit mixtus, quia maxima mixtio coincidit cum maxima simplicitate, in natura intellectuali: & qui intellexerit, quæ sit homiomera Anaxagoræ, quam opifex intellectus distinguit: intelliget, quare vnumquodq; in natura intellectuali habet à sua intelli-

gibili vnitate, & quod sibi quodlibet vniat, & quod immaculatam ac impermixtam sibi suam seruet proprietatem.

Canon XX.

Qui intelligit illud Pici, quomodo formæ substantiales in secundo mundo sunt per modum accidentiū, & formæ accidẽtales in primo mundo per modum substantiarum: intelliget in intellectu veram denominationem idearum: & quare, nisi destruxerimus naturam intellectualem nō possimus intelligere ideas numerari, nisi per intimationem ideæ numeri per reliquas, sicut est cuiuslibet per omnes: intelliget, qui priora intellexit, qui sit formalis numerus, quem Pythagoras dixit esse principium omnium rerum.

Canon XXI.

Qui intelligit, quid sit simpliciter vnum

vnum ens vnum, vnum habens ad vnum extremalem correspondentiam: intelliget, quomodo Zenophanes, Parmenides, & Melissus conuenienter dixerint, omnia esse vnum, obseruata discreta ratione: & qui intelligit, quid Empedocles per litē & amicitiam voluerit: intelliget quomodo eadem proportionentur in scientia Sephirot, id est, decem numerationum, æternitati & decori.

DE MYSTERIIS ARABVM.

Canon I.

QVi profunde intelligit, quid sit scientia, quæ tractat de his, quæ sunt omnino extra materiam; tum quæ possunt existimari absque materia non habentia esse nisi in materia, & quæ signata sunt in materia: intel-

liget Algazelis Arabis processum in scientiis, & quid velit cum inquit, Quod nõ consequitur ens, nisi postquam sit subiectum vel Mathematicæ, vel Physicæ, non pertinet ad considerationem scientiæ diuinæ: intelliget quoque, quomodo in scientiam diuinam incidat cõsideratio de causa vniuersi esse.

Canon 11.

Qui scit, quid Picus iuxta Auerrois sententiam intendat, cum dicit, Vnum Metaphysicum est fundamẽtum vnius Arithmetici: & quod numerus præcise ita reperitur in abstractis, sicut in materialibus: intelliget quid Algazel velit in enumeratione quatuor specierum substantiæ, quæ sunt hyle, forma, corpus, & intelligentia separata per se existens. Qui hæc intelligit: intelliget illud Pici, secundum Auerroem, nempe substantiam

tiam esse priorem accidente, non solum natura, sed tempore.

Canon III.

Qui scit, quomodo esse omnis eius quod est, aliud pendet ab alio: à se sic, vt ad remotionem eius sequatur remotio istius, aliud non pendet: sciet, quid possibile & debitum per se apud Arabes occulte significet: & quomodo causa vniuersi esse, non sit aliud ab eo quod est ipsum: & quid velit Algazelis sententia in eo vbi dicit, quod necesse esse non pendet ab alio sic, vt illud aliud pendeat ab ipso: & quomodo vniuersale sit singulare per differentiã, vel per accidens: deinde quomodo quicquid est aliud à necesse esse, oportet vt proueniat ab eo secundum ordinem.

Canon IV.

Qui intelligit apud Arabes designatio-

ſignationes quinque, vt cum dicitur aliquis homo, corpus, albus, ſciens, largiens, indigens: intelliget, quare Algazel in ipſo neceſſe eſſe nullo modo pluralitatẽ concedat: & quare Mahumeth Toletinus relationẽ nullam rem dicere extra animam affirmet: tum quomodo ſenſibilia communia proprias ſpecies ad ſenſus multiplicant, diſtinctas à ſpeciebus ſenſibilium propriorum.

Canon V.

Qui ſcit, quomodo primum eſſe nõ habeat ſimilitudinem, nec æqualitatem, nec poſſit recipere diuiſionem, & quomodo negari incepit ſuum eſſe: & quid ſit relatio ad actiones, quæ proueniunt ex eo: intelliget, quid ſignificent Arabes per vnũ, æternum, largum, dapſilem, & priu: & quomodo primum viuens ſit primum principium: & quare Auicenna dicat,

dicat, non posse esse in anima notionem intelligibilem, sine actuali intellectione: & quomodo Algazelis sententia, Scire seipsum non addit primo principio aliquid, vnde quasi per hoc sit multitudo in eo: & cur eius scientia non sit nisi ipsemet, & quod primus scit omnes species & genera omnium quæ sunt: & quomodo Auicenna dicat, primam substantiam priorem esse qualibet substantia, habente habitudinem ad operationem transeuntem, quæcunq; sit illa, alicuius causæ, siue formalis, siue materialis, siue efficientis, siue finalis.

Canon VI.

Qui intelligit, quomodo scientia de multis sciris non possit esse vna: intelliget illud Algazelis, Intellectus de hoc, quod vere vnum est, hoc est, quia non est in eo aliud, & aliud,

tunc

tunc vt habet positionem distinctionis alicuius de illo, sequatur ipsum non esse, quoniam non habet partes: cognoscet, quomodo anima sit quasi tabula brevis, in se omnia continens quæ sunt in mundo: intelliget magnum secretum Algazelis, vbi inquit, Primus qui est laudabilis, non potest scire singularia, scientia in qua sit præteritum, futurum, & præsens: & quod primus est volens, & ei est voluntas & causa, & quod hoc non sit aliud ab eius essentia: intelliget etiam, vbi inquit, Imaginatio igitur causus, & inquisitio formæ eius, in eadem hora est causa rei imaginatæ.

Canon VII.

Qui intelligit illud Isaac Narbonensis, Corpora cœlestia non largiuntur formaliter inferioribus, nisi caliditatem: intelliget quomodo Algazel

gazel dicat, Essentia primi vero talis est, quod ex ea fluit sine dubio, omne quod est secundum modum pleniorem & perfectiorem, iuxta ordinem: quod est possibile in esse à principio, vsque ad finem ordinis.

Canon VIII.

Qui intelligit, quomodo delectatio sensibilis non habet comparationem ad delectationē intelligibilem: intelliget illud Algazelis, Apprehensibile quod solet afferre delectationem, aliquando est præsens, sed non percipit huiusmodi delectationem eius, vel quia nō recordatur eius, vel quia intentus est in aliis. Similiter anima separata post mortem, sentit dolorem pro ignorantia, & delectationem pro sapientia.

Canon IX.

Qui intelligit illud Moysis Aegyptij,

prij, Simplicitas primi & omnimoda immaterialitas probari non poteſt per cauſalitatem efficientem motus, ſed per finalem tantum: intelliget Algazelem, vbi ait, Nos autem non apprehendimus de ipſo, & de proprietatibus eius, niſi vniuerſalia, & hæc pauciſſima: quomodo etiam (vt idē ait) angelorum delectatio ſit ſine fine, & infra delectationem primi: & quomodo delectatio ex contemplatione primi, vincit delectationem de apprehenſione ſui, quam Algazel agnitionem ſerui affirmat: & quomodo intelligendum eiuſdem dictum, Angeli non habent voluptatem cibi & coitus, propter Dei propinquitatem: & ſi exierit virtus intelligibilis de potentia ad effectum, homo poterit acquirere fœlicitatem.

Canon X.

Qui intelligit illud Abumaron Babylo-

bylonij, Intellectus agens nihil aliud est quam Deus: intelliget illud Algazelis, Scire rei in Deo, est principium essendi ipsam rem, & quod paulo post inquit: Nihil de Deo potest intelligi, nisi secundum aliquid, quod est in re. & vbi ait, Vnum non cognoscit Deum, nisi Deus.

Canon XI.

Qui intelligit, quomodo anima excitatur ab exterioribus speciebus: intelliget illud Adelandi, quod & omnes Mauri dicunt, & Picus introducit, quomodo species actu & substantialiter sint in parte, quæ non cadit, & recipiantur de nouo & accidentaliter in parte quæ cadit.

Hinc intelligere poterit diligens rerum sepultarum indagator, quod scribit Taber Chaldæus, de dormitione super epar in reuelatione somniorum: & quod dixit Abdala,

Videre

Videre somnia, est fortitudo imaginationis. Intelligere ea, est fortitudo intellectus. Ideo qui videt ea, vt plurimum non intelliget ea.

DE MYSTERIIS GRÆCORVM.

Canon I.

QVi scit formas separatas & coniunctas, quo ad rem & modum, apud Iamblichum: scit terminum & infinitum, marem & fœminam, identitatem & alteritatem, similitudinem & dissimilitudinem, circulationem eiusdem, & circulationem alterius, in intelligibilibus, intellectualibus, supermundanis & anima, venari apud Proclum: scit insuper patris & factoris apud Platonem virtutem: & quomodo intellectus agens sit pars animæ, quæ sursum manet, &

net, & non cadit, apud Adelandum Arabem, quomodo etiam occulte ſymbolizare debeamus illud Plotini: Primum intelligibile non eſt extra primum intellectum. & quid apud Themiſtium: Intellectus agens, illuminans tantus, vnus, & agentes, participati, illuminantes & illuminati, & apud Aphrodiſeum, quomodo primus intellectus, ac vltimus, ſe & alia intelligit: & quomodo ſe habeat apud Theophraſtũ, intellectus agens ad producenda intelligibilia, in poſſibilem intellectum.

Canon II.

Qui intelligit apud Simplicium, quomodo intellectus agens ab intellectu poſſibili liberatur: intelliget apud eundẽ, quãdo eadem pars rationalis dicitur intellectus agẽs, vel poſſibilis: & quãdo in effectu vel habitu: & qua-

& quare intellectus agens recipiat artis, habitus & luminis assimilationem: cur apud Plotinum omnis vita sit immortalis, ac ens, vita & intellectus in idem coincidunt: & quid apud Porphyrium Apollo atq; Aesculapius significent, & cur Luna in ascendente dat Astrologis sanitatem nato.

Canon III.

Qui intelligit apud Proclum, Saturnias leges, louias, Fatales & Adrastias, id est, arbitras & vltrices, veluti diuinarum legum ineuitabilem potestatem, qua futuris circuitibus rependatur vnicuiq; pro ratione & meritis vitæ prioris: intell get, vnde Dii contentiui & perfectiui oriantur, vnde Dj Saturnij, vnde anima viuens intellectualiter, & cui omnia obediant: & quid sit apud Platonem anima in medio mundi posita, quam impar-

imparticipatam Picus appellat: & quomodo elemẽta in octo cœli corporibus, cœlesti modo (secundum Iamblichum) bis inueniũtur ex processu retrogrado: secundum Picum, in bina numeratione, à terra inchoãdo ad ignem: deinde à Luna ad Solem, & à firmamento ad Martem, vt infra lib. 12. patebit: & quomodo, secundum Porphyrium, Deus, intellectus, & anima, vbiq; & nullibi sint: & quomodo, secundum Iamblichum, sit corporalis natura in intellectu, in animo, in animali, in cœlo, & infra lunam.

Canon IV.

Qui intelligit apud Platonem, id quod vere est, nullo modo genitum: & quod vere genitum, nullo modo ens: & ens genitum, atque genitum ens: intelliget totam doctrinam de tota natura, & quid apud Porphy-

rium animæ & ſubſtantiales dæmones, materiales potentiæ, & accidentales dæmones: & actum corporis ab Ariſtotele de rationali anima, ſecundum Ammonium cauſaliter, & non formaliter: & quomodo cognoſcere actum ſuum, humanis ſenſib. apud Simplicium ſit ſpeciale: & cur paſſio à ſenſibili facta in organo ſolo, ſenſatio in anima ſola recipitur.

Canon V.

Qui intelligit Proclum, quomodo ponat numerum & multitudinem in intellectualia, ac in intelligibilia ſolam multitudinem: intelliget illud ſacrati patris Areopagitæ, de diuina caligine: & in Apocalypſi, cur factum ſit ſilentium in cœlo, cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum: & quod ſit ſilentium cœleſte, ad quod erat Paulus raptus: quid ſit apud Pſalmiſtam nubes & caligo, iuſtitia & iudicium:

cium: & quid sit Exodi nubes tenebrosa, illuminans noctem, & caligo, in qua erat Deus: & quid significet diuinus Bartholomæus, vbi ait, & plurimam Theologiam esse, & minimam.

Canon VI.

Qui intelligit, secundũ Proclum, quomodo Dei appellatio vni competat, qui est Deus Deorum, quomodo cuilibet supersubstantialium, cuilibet intellectualium, animis diuinis, dæmonibus, & animis humanis: intelliget apud Areopagitam, quænam in Theologia sint affirmatiua, & quæ negatiua: quo pacto ex Deo Patre spirituali, ac indiuiduo bonitatis fonte, in suæ substantiæ intimo ac sinu, filius ac Spiritus sanctus vt gemina bonitatis lumina spiritualia, sunt exorti: quo itidem modo in Deo Patre, ac mutuo in se inuicem,

trium personarum mansiones, cum perpetua tamen emanatione, persistunt: & nunquam ab inuicem digrediendo, intime per inhabitationem mutuam permanent: & quod nil sensibilium est, qui sensibilis omnis eminenter est author: & quomodo diuinæ excellentesq; negationes, excellentibus absolutisq; affirmationibus oppositæ non sint: & quod nil intelligibilium est, qui intelligibilis omnis rei author est: quomodo neque filij, neq; patris est denominatio: neque paternitas est, neque (si sermo patitur, vt scholia Stapulensis habent) filialitas.

Canon VII.

Qui intelligit, quare materia sit principium incognoscibilitatis, & intellectus agens cognoscibilitatis: intelliget, cur quælibet res in puritate sui esse constituta, est intelligens, intel-

intellectus & intellectum : & quomodo ab intellectu sit, quod perfecte cognoscatur singulare, cum intellectus non intelligat singulariter, nec singulare intelligitur ab intellectu, secundum opinionem Aristot. Commentatoris & Thomæ.

Canon VIII.

Qui intelligit quid sit efficientia vera, quæ est reductio de potentia ad actum, & efficientia, quæ est naturalis fluxus & effectualis consecutio: intelliget, quomodo potuit esse à Deo efficienter mundus ab æterno, & quomodo potuit produci, & fuit de facto secundum Aristotelem productus ab æterno, salvo vtroque sensu; intelliget, quomodo cœlum sit animatum, non repugnante Aristotele.

Canon IX.

Qui intelligit, quid sit absoluta

præcisio ab omni extraneo, quid sit vnita perfectio imparticipatæ substantiæ, quid sit extrapositio partis ad partem, quid sit veritas denominationis per inhærentem participationem, quid sit esse imaginarium: intelliget, quare entium diuersitas reducatur ab Archita primum, deinde ab Aristotele ad decem: quare à Plotino quinque, à Stoicis quatuor ponantur.

Canon X.

Qui intelligit numeros triplares, quia à Platone in Timæo ponuntur in triangulo animam significante, & numeros duplares: intelliget, quousque sit in formis numerandis progrediendum, per naturã illius quod est prima forma formans: & quomodo coordinãda sunt media per naturam eius, quod est medium in vniuerso: intelliget quid exemplar genitum, quid

quid ingenitum, quid animales rationes, & quid ideæ intellectuales: intelliget modum illuminationis superiorem super media: intelliget cõgregationem animarum in Ida, secũdum Platonicos: & in monte Sinai, secundum Hebræos.

Canon XI.

Qui sciuerit illud Pici, rationem causæ præsupponere, & rationẽ perfecti: intelliget iuxta Platonicam doctrinam, quare dixerit Pherecydes, non prius Iouem mundum fabricasse, quam in amorem fuerit transformatus: intelliget, quid Empedocles per Iphætam intelligibilem à Venere contentam significet: quare amor ab Orpheo sine oculis dicitur, quia scilicet est supra intellectum.

Canon XII.

Qui intelligit, quid sunt Mon-

curij ſoporifera: intelliget quomodo ſecundum Platonicos anima viuat cum Saturno vitam contemplatiuã, cum Ioue politicam & practicam, cum Marte iraſcibilem & ambitioſam, cum Venere concupiſcibilem & voluptuoſam, cum Mercurio vegetalem cum ſtupido ſenſu: intelliget, quomodo quinque illa Platonis ens, idem, alterum, ſtatus, & motus, infra ambitum terminati entis, pro tranſcendentibus ponuntur: intelliget, cur primus ſeptenarius vitæ humanæ ſit ſub Mercurio, ſecundus ſub Venere, tertius ſub Marte, quartus ſub Ioue, quintus ſub Saturno, & reliqui Septenarij ſecundum eum, qui fuerit prædominatus in præcedentibus: intelliget, cur prædictis vitis cooperantur Sol & Luna, vt cauſæ vniuerſales, & per appropriationem Luna Mercurio & Saturno, Sol Veneri & Marti, ſimul vterque Ioui.

Canon

Canon XIII.

Qui intelligit, quomodo reperiatur pulchritudo in intelligibilibus, quomodo item in ſenſibilibus: intelliget quomodo apud Platonem amor ſit ex congreſſu Peniæ & Pori, in hortis Iouis, in natalibus Veneris, Diis diſcumbentibus: nihil enim Plato aliud intelligit, quam in Angeli mente tunc primum amorem, id eſt, deſiderium pulchritudinis eſſe natum, cum in eo idearum ſplendor, imperfectius tamen refulſit: item intelliget quid amor, de quo in Sympoſio loquitur Plato, per duplicem Venerem: nihil enim aliud ſignificat, quam duplicem pulchritudinẽ, ſenſibilem & inſenſibilem. Ita nec amor de quo Plotinus loquitur, eſt cœleſtis ille amor, de quo Plato agit, ſed illius vera, & proxima imago. Similiter & quæ pugnantia videtur in dictis Orphei, & Agathonis, quorum

alter amorem antiquiorem omnibus Diis dicit, alter iuniorem, perfacile ſoluemus, ſi ad duplex Deorum eſſe, intelligibile & naturale, reſpexerimus, ſicut infra ſuo loco patebit. Item quomodo pulchritudo in Deo eſt per cauſam, in totali intellectu vere, eſſentialiter, totaliter: in particulari intellectu vere partialiter, eſſentialiter: in anima rationali vere participaliter: in viſibilibus cœli accidentibus imaginarie, eſſentialiter, totaliter: in ſubcœleſtibus qualitatibus viſibilibus, imaginarie, partialiter, eſſentialiter: in quantitatibus, imaginarie, participaliter.

Canon XIV.

Qui intelligit quid velit Plato in Timæo, dicens, Ex indiuidua, diuiduaq; ſubſtantia conflatam animam: intelliget Picum declarantem illud Platonis, cum dicit, Omne quod fit, à cauſa

causa fieri, id est, referendum est per se, ad per se: & per accidens ad per accidens: intelliget, quomodo anima intelligat per inspectionem ad ideas, quis sit modus cognoscēdi per ideas: quid in fabula Critiæ per quinq; partus significatur, scil. quinque formæ corporis. quid per aliam vitā in Epinomide, scilicet connexionem partium cum suo toto. quomodo ibidem Arithmetica sit ea scientia, quæ maxime inter speculatiuas faciat felicitatem. quid per cœlum ibidem, videlicet cœleste animal. quid in Symposio Platonis per necessitatis regnum, vtpote superabundantiam naturæ alterius, supra naturam eiusdem, & infiniti supra terminum, quomodo Picus intelligendus, cum dicit, Per demonstrationem Platonis in Phædro de animæ immortalitate, nec de nostris animis, (vt Proclus, Hermias & Siranus credunt) nec de

omni anima, vt Plotinus, & Numenius, nec de mundi tantum anima, vt Possidonius, sed de cœlesti qualibet anima probatur & concluditur immortalitas.

Canon XV.

Qui intelligit, quomodo sit tempus in incorporeis, videlicet essentialiter, & in corporeis scilicet participatiue, intelliget vbi habeat esse essentiale, totale, & participatiuũ: quomodo tempus habeat ab anima suũ esse participatum, à prima quidem anima, per modum effectiuæ causalitatis, ab vltima vero per modum obiectiuæ consequutionis, & quare apud Picum motus primi cœli, & vniuersaliter quilibet motus, siue localis siue alterationis, secundario & per accidens tempore mensuratur.

Canon XVI.

Qui intelligit, quod sicut videtur & au-

& auditur homo ab homine per motionem sensus ad extra, ita & videtur & auditur dæmon ab homine, & à dæmone, per motionem sensus ad intra: intelliget, cur homo non possit non videri, si sit præsens à recte dispositio in potentia visiua: dæmon autem tunc solum videatur, cum vult videri: id quod (Pici sententia) ex modo quo vnusquisque eorum videtur, haberi potest: intelliget, quid sit sensus naturæ, quem ponunt Alchindus Bacon, Guilielmus Parisiensis, & quidam alij, maxime autem omnes Magi: quod nihil aliud sit, quam sensus vehiculi, quem ponunt Platonici.

Canon XXVII.

Qui intelligit hãc propositionem in Phædro, Omnis anima totius inanimati curam habet: intelliget, quomodo prouidentia sit in Deo, statui-

tiue: in intelligentia, ordinatiue: in anima, executiue: in cœlo, denunciatiue: & toto vniuerso, terminatiue: & quomodo per dicta in Phœdro de furore amatorio, constet secundum Platonem, nõ esse felicitatem in actu amoris, quia furor non est felicitas, sed impetus concitans, vrgens, & impellens ad felicitatem: item quomodo ex oratione Socratis in Phœdro ad Pana, habeatur complete opinio Platonis de felicitate: intelliget, quod dicitur in Euthydemo, Non in habitu, sed actu consistere felicitatem: intelligendo secundum Picum de actu reflexo.

Canon XVIII.

Qui intelligit apud Peripateticos, quid sit scientia vniuersalis: intelliget id, quod in Lachete dicitur, Quorumcunq; est scientia, non esse aliam eorundem vt præteritorum, aliam vt præsen-

præsentium, aliam vt futurorum. non est enim scientia nisi vniuersalium: intelliget dictum illud in Sophiste: Qui vnum non dicit, nihil dicit: idem esse, quod Aristoteles inquit, Qui vnum non intelligit, nihil intelligit. Hoc vnum intelligit Picus, vnum in alteritate.

DE MYSTERIIS LATINORVM.

Canon I.

QVi intelligit, quomodo secundum Albertum, in quolibet puncto materiæ sunt, per habitū inchoationis potestatiuum, essentiæ omniū formarum naturalium: intelliget illud Thomæ, quomodo materia signata sit principium indiuiduationis quomodo forma generatur per accidens, quomodo vnum supra ens non addat priuationem, subiectū & propria

propria passio realiter distinguantur, eademq; sit numero qualitas à principio alterationis vsque ad finem: & quomodo, secundum Franciscum, quidditates habeant ab æterno suum esse formale à se, non ab extrinseco: & pluralitas formalitatum stat cum identitate reali: & quomodo Ens, secundum Scotum, de suis passionibus & vltimis differentiis quidditatiue non prædicatur.

Canon II.

Qui scit, secundum Thomam, quomodo contingens rerum, quæ sunt, erunt, aut fuerunt, existentia fuit Deo ab æterno infallibiliter nota: sciet, quomodo contingentia ad vtrumlibet futurorum, cognitorum à Deo, simul stat cum infallibilitate diuinæ scientiæ: & quomodo quodcunque contingens Deus sciuit esse futurum, necessario sciuit illud esse futu-

futurum: ſciet ſolam voluntatem eſſe rationem prædeſtinationis, & reprobationis, ſine impoſitione neceſſaria, neceſſitatis, rebus volitis.

Canon III.

Qui ſcit, ſecundum Scotum, quomodo aliquid poſſit ſeipſum mouere de actu virtuali ad actum formalem: ſciet ſecundum Thomam, quomodo beatitudo ſit eſſentialiter in actu intellectus, quomodo nec fruitio, nec aliquis actus voluntatis ſit eſſentialiter beatitudo: intelliget quoque, quomodo Chriſtus in vltimo iudicio iudicabit non ſolum in natura humana, ſed etiam ſecundum naturam humanam: intelliget illud Alberti, quomodo forma in intentione & remiſſione, non variatur ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum eſſe: & quomodo anima ſeparata intelligat, per ſpecies ſibi à principio ſui eſſe

fui esse concreatas, quibus dum est in corpore, aut nunquam aut raro vtitur: & quomodo, secundū ipsummet Scotum, post passionem Christi potuerunt ceremonialia veteris legis sine peccato obseruari: & quomodo, secundum Gandauensem, habere aliquid ditatiuam & diffinibilem realitatem, commune est figmentis & non figmentis.

Canon IV.

Qui intelligit illud ad Romanos, Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum iustificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri: intelliget mysterium incarnationis, quantum ad personam incarnatam, quantum ad modum incarnationis, quantum ad coniunctionem humanitatis cum Deitate, quantum ad humanam genealogiam, quantū ad humilitatem:

litatem: & quomodo verbum caro factum sit: quomodo filius Dei secundum carnem factus, & supernaturaliter Deo, vt coniunctum organum ex semine Dauid, præordinatus secundum spiritū, sanctificatus propria authoritate, ex tempore, & causa propriæ resurrectionis, qua surrexit à mortuis: quomodo etiā primum esse spirituale in mysterio incarnationis sit, quomodo vnctus vnctione gloriæ super omnes Reges.

Canon V.

Qui intelligit Ambrosium, cum dicit, Fides est radix omnium virtutum: & quod super hoc fundamentum ædificaueris, hoc solum ad operis tui fructus, & virtutis proficit mercedem: intelliget illud Gregorij, Nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, sciet quoque, quomodo, secundum

Augu-

Augustinum, fides sit prima quę subiugat animam Deo, quæ præcepta dat viuendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & incipit lucere, quod antea tantummodo credebatur: & secundum Hieronymum, quomodo fidem spes sequitur.

Canon VI.

Qui intelligit, quomodo innascibilitas est positiua proprietas, constituens patrem in esse hypostatico incommunicabili: intelliget quomodo hæc ab opinione sancti Doctoris, à qua (vt Picus sentit) multum secũdum verba videntur dissentire, nihil discordant: intelliget iuxta certum Doctorum fundamentum de ponẽda sexta notione, quæ est inspirabilitas, non debere discordare Thomistas & Scotistas, nec in subiecto Theologię, in quo radicaliter & fundamen-

damentaliter concordant Thomas, Scotus & Egidius, nec in distinctione ex natura rei, nec in distinctione attributorum.

Canon VII.

Qui intelligit, vtrum Angelus potuerit diuinam æqualitatem simpliciter appetere: intelliget, quomodo in hoc articulo præciso à suis appendicibus, non discordet Thomas & Scotus, nec de modo quo Angeli sint in loco, nec in materia, quid prius cognoscatur, magis an minus vniuersale, intelliget vtriusq; mentem, quomodo de re nominaliter concepta, primus conceptus qui habetur, est conceptus vniuersalissimus, quomodo de re definitiue concepta, primus conceptus, qui habetur, est conceptus rei, conceptus proprius & cõuẽtibilis, quomodo in distinctissima cogni-

cognitione, vltimo nota nobis sunt prædicata maxime vniuersalia.

Canon VIII.

Qui intelligit dimensiones interminatas: intelliget, opinionem commentatoris de principiis fundamentis doctrinæ Thomæ nihil repugnare, nec in materia de obiecto intellectus, Thomam & Scotum discordare, nec in quæstione de contingentia, ad vtrumlibet in materia de casu & fortuna, nec in quæstione, an corpus compositum accipiat Physicus à Metaphysico, re & fundamentaliter Auerroem & Auicennam dissidere.

Canon IX.

Qui intelligit Picum dicentem, vbi id æ sunt idealiter, ibi non sunt formaliter, vbi sunt formaliter, ibi non sunt idealiter: intelliget, quomodo

modo ideales rerum formalesq; rationes, à Deo in prima creata mente formaliter primo reperiũtur, & quomodo Deus cognoſcat creaturas, vt obiectum ſecundarium ſuę intentionis. Ex huius poſitione intelliget Picum dicentem, Pater prius producit verbum, quam creaturas cognoſcat, intelliget, quomodo attributales perfectiones, nec in Deo, nec ſecundum ſe quidditatiue ſumpto, dicunt diuerſas rationes in recto & principaliter definibiles, vel deſcriptibiles.

Canon X.

Qui intelligit, quomodo nulla multitudo intellectorum ſit in Deo, ſed vnum penitus ſimpliciſſimũ intellectum, intelliget intuitum diuinæ cognitionis ad creaturas, tanquam ad obiecta priuatiua, vel ſecundaria formaliter non terminati: & quomodo ſe tantum, & nil aliud

à ſe in-

ſacræ Scripturæ latet ſcientia, quam adhuc reſeratam nemo reliquit, quia eſt prima & principalis ex ſecretis ſecretorum.

CONCLVSIONES, De Oracvlis.

P. S.

1. Cupiens ad ſupremum animæ ſtatum accedere, & ipſa oracula petere, ſanctè caſteque diſpoſitus ſit.

2. Conſequi verum effectum oraculorum volens, religioni ſit conformis.

3. Pedetentim & veluti per gradus quoſdam ad hanc animi puritatem perueniendum eſt.

4. Anima pura, naturali ſua ſolertia ſubito quod cupit, aſſequitur.

5. Verum animarum purgatoriũ eſt ipſa munditia, dum in hoc corpo-

reuerſamur, item abſtinentia, pœnitentia & eleemoſyna.

6. Itaque in oraculis verſari, eſt munditiam ſeruare, ſordesq; omnes & animi perturbationes, & quæcunque ſenſum ac ſpiritus offendunt, pellere.

7. Sic fit, vt homo ad Dei contuitum vnionemque ſit diſpoſitus.

8. Abſtinentia ſuos paſſim obſeruatores contra vitia & malos dæmones munit, & mentem Deo coniungit.

9. Nihil ad ſanitatem & complexionis temperantiam melius conducit, quam ſuperflua minime congregare, modumq; neceſſarij victus non excedere.

10. Vſus ſiccorum ciborũ & corpus craſſum ieiuniis extenuatum & facile permeabilem ſpiritum humanum purum & potentem reddit.

11. Quod anima noſtra ſæpiſſime ſomnians,

ſomnians, nonnunquam etiam vigilans, ſemper ſupernis influxibus ſubijciatur, temperantia vitæ complexionisq; id efficit.

12. Ad diuturnam vitam conſequendam & perpetuam ſanitatem, moderatio prudens per abſtinẽtiam ſingularum cum animi, tum corporis ſui notionum conducit.

13. Nemo poteſt Deum intelligere, niſi æmulatione & conuerſatione diuina, ideo intelligere volens, abſtinentiſſimus eſſe debet.

14. Præterea, ſi quid agere præclari aut diuinitus illuminari cupiuerimus, abſtinendum nedum à cibis, verum etiam ab omnibus iniuſtitiæ famulabus eſt.

15. Anima corpore & libidine ſuffocata, nihil cœleſte præuidere poteſt.

16. Et hoc eſt haud abſimile ieiunium, abſtinere ab ijs, quæ videntur

in philocaptis, inuidis & ambitiosis.

17. Animus omni cura solutus, sacris numinibus ac cœlestibus vacans, eadem quotidie sentit, quæ cœlestia munera cogitant efficere.

18. Quanto magis animalem vitam & humanam relinquimus, tanto magis viuimus Angelos & Deum, quib. coniuncti in omnia possumus, omnibus dominantes.

19. Maxima purgationum pars est, voluntaria pœnitentia delictorum.

20. Cum quem pœnitet peccasse, pene est innocens.

21. Pœnitentia primam adfert expiationem.

22. Hæc siquidem gladio spiritus ex omni parte confoditur.

23. Eleemosyna secunda est à pœnitentia.

24. Adoratio diutissime continuata,

nuata,& frequentata ſæpius intellectum, & animam ad ſuſcipienda diuina lumina efficit ampliorem.

25. Item amorem diuinum accẽdit, ſpem fidemque & mores ſacros infert.

26. Reuertitur homo ad Deum per orationes: quo perueniens ſiſtit equos & cubiculum ſympoſij intrat, vbi paſcitur Ambroſia,& potatur nectare.

27. Hæc autem eſt optima ratio, quæ ſilentio ſancto, voce mentis inclamando, offertur Deo.

28. Adeo nihil petendũ eſt, quod velle nos indecorum eſt.

29. Itaq; omnis teſtatur antiquitas, per orationes, ieiunia, eleemoſynas, pœnitentiam & caſtam mentem nos magna & miranda efficere.

Eiusdem Conclusiones,

DE SECRETA PHILOSOPHIA.

1. Vites non putatæ, impossibile est, vt cognoscant infinitum seu vnū.

2. Gallus candidus non recipit harmoniam.

3. Vitis non putata, nunquam sedet.

4. Harmonia circumactionem non attingit.

5. Neque sal, neq; statera intrant viam publicam.

6. Sol vt plurimum acutum habet gladium.

7. Lotium ipsum cōsequitur annulus strictus.

8. Stragula lecti remedium habet lyram & cantum.

9. Escam habebit omne lotium, & omnis vitis non putata.

10. Fa-

Digitized by Google

10. Farina vero habebit infinitū & ipſam ſtatem.

11. Oila gignit vngues recuruos.

12. Chœnix per terminum in harmonia, ſubinde expectat rem decidentem.

13. Nigræ caudæ dextra omnino iungenda non eſt.

14. Vngues & crines hirundineos periculoſum eſt ferre.

15. Nihil in farina pulchrius eſt pane.

16. Oleum non decet panem.

17. Ignis eſt proxima cauſa gladij.

18. Grauius onus in natura nõ eſt ipſa cauda nigra.

19. Hirundo eſt matella vnius.

20. Arbor mitis reſpicit infinitum.

21. Piſcis dignus eſt gallo candido.

22. A fabis pius vir neceſſario abſtinere debet.

Digitized by Google

23. Sicut homo & Lucifer sacerdos inferior sacrificat Deo animas animaliū irrationalium, ita Michael sacerdos superior sacrificat animas animalium rationalium.

24. Cum arbore scientiæ boni & mali, in qua peccauit primus homo, creauit Deus seculum.

25. Magnus aquilo fons est animarum omnium simpliciter, sicut alij dies quarundam, & non omnium.

26. Animæ à tertio lumine ad quartam diem, & inde ad quintam descendunt, inde exeuntes, corporis noctem subintrant.

27. Per sex dies Geneseos intelligendæ sunt sex extremitates ædificij, procedentes à Bresit, sicut procedunt cedri à Libano.

26. Cum fiet lux speculi non lucētis, sicut lucentis erit nox sicut dies.

29. Nullus Angelus habens sex alas vnquam transformatur.

30. Nul-

30. Nulla res ſpiritualis deſcendens, operatur ſine indumento.

31. Omnis anima bona eſt anima noua, veniens ab oriente.

32. Sapientes Iſrael poſt ceſſationem prophetiæ per ſpiritum, prophetarunt per filium vocis.

33. Non ponitur rex terræ in terra, quin prius humilietur militia cœleſtis in cœlo.

34. Rectius eſt vt amen Tiphereth dicat, & regnum ſicut per viã numeri oſtẽditur, quam quod dicat regnum tantum, vt quidam volunt.

35. Motus cum ſenſu terminum, terminus cum lege infinitum pariũt.

36. Genus in diapente vitam, vita cum infinito Iouem producunt.

37. Numerus cum mixtione vnũ, vnum cum Ioue Iunonem generant.

38. Concentus cum ratione numerum, numerus cum Iunone legem exerunt.

39. Et

39. Et analogiam vnitatis, mentis & ſacerdotij in bonitate habet.

40. Meſſiah Enos cum denario ſpiritu & Leuita coniungit.

41. Ollecentenarium, animam & Iſraelitam cœlo adiecit.

42. Hinc eſt neceſſarium, quinquaginta portas intelligentiarum, & triginta duas ſemitas ſapientiç, vnum numerum & infinitũ agnoſcere, verum luminum datorem.

43. Firmamentum igitur & aquæ ſub firmamento, item cœlum viſibile 17, 18. & 19. portæ ei attribuuntur.

44. Quapropter ex ſpiritu producitur verbum atq; vox, tria nihilominus hæc vnum ſunt.

45. Et imperfectiones influentiarum, in collectione communicanti à 10. vſque ad 5110. procedunt.

46. Abſolutum vero quid in ſubiectis, ab vnitate ad nouenarium.

47. Item

Digitized by Google

47. Item ordo in procedenti à 10. ad 90.

48. Substantia in propriis manet, imperfectiones tamen earum in collectione vniuersali à 20 ad 7670.

49. Vltimo, imperfectiones partium in distributione virtutum recta procedunt à 25. ad 2138.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google